HISTORIA
ECCLESIÆ NOACHICÆ,

EX

VETUSTISSIMIS SS. LITERARUM ANTIQUITATIBUS ERUTA,

ET

SUFFRAGIO ECCLESIÆ CHRISTIANÆ ILLUSTRATA.

STUDIO

BALTASARIS BEBELII,
SS. Theol. D. ejusdemq; primum in Acad. Argent. dehinc Witteberg. Prof. Publ.

EDITIO SECUNDA, priori multo correctior.



ARGENTORATI,
Sumptibus JO. REINHOLDI DULSSECKERI,
ANNO M DCC VI.

Inclyto

Liberæ Civitatis Imperialis

MEMMINGENSIS MAGISTRATUI

ET

CONSILIARIIS:

VIRIS NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS, CONSULTISSIMIS, SPECTATISSIMIS,


DOMINIS PATRONIS, FAUTORIBUS SUIS

plurimum obſervandis;

Gratiam & pacem à JESU ſalutis auctore

Comprecatur

BALTASAR BEBELIUS, D.



Ampliſſimi Viri, Domini plurimum colendi!



Ucundiſſimum pariter & utiliſſimum eſt in antiquiſſimis ſacrarum literarum monumentis ſpectare origines & progreſſus cum Eccleſiæ, tum politiæ, quæ fuerunt, & propagatæ ſunt poſt diluvium terris inductum. Etiamſi enim ſint, qui ex Chaldæorum & Ægyptiorum vetuſtis archivis hiſtoriam iſtam depromere allaborarint, tamen eruditiſſimi inter Patres Chriſtianos polyhiſtores vetuſtatis larvam monumentis iſtis detraxerunt, oſtendentes, ſi quid ex remotiore ævo οἱ τῶν ἔξω protulerunt, id quodam quaſi plagio ex Moſaicis literis deſumptum fuiſſe. Moſes igitur, inter homines ſcriptor rerum ſacrarum antiquiſſimus, unice fidem meretur, cæteri non, niſi ubi cum hoc convenerint. Hoc docente diſcimus, mox poſt diluvium reſtitutam eſſe Eccleſiam, quæ pridem in arca latitabat, & œconomiam, multiplicatis hominibus, qui ex una ſtirpe enati univerſum orbem domibus, oppidis, civitatibus impleverunt,

pleverunt. Videbatur equidem diluvium, ut erat horrendum divinæ adversus peccatum iræ argumentum, universum orbem cum omnibus incolis absorpsisse, Deus tamen mox ostendit, quod in mediis etiam undis sanctum tamen sibi servet semen, unde Ecclesiæ amplior cœtus excrescat. Hoc fine ordinavit ministros, Noachum cum filiis, qui structis aris, & oblatis sacrificiis rem sacram curarent. In quibus celebre nomen est etiam Asckenas, illius Germanorum parentis; Nam ab igne sacro, quem custodivit, nomen accepisse creditur. Solitus est Deus ab exordio Ecclesiæ ex inacessa sua luce prodire, conspicuis signis, quæ edebat in gratiam hominum, quos suam essentiam, & voluntatem nosse voluit, & sequi. Hoc fine suum ipsis verbum prædicandum curavit, & sacramentis additis obsignavit. Dicunt enim, cum victimas ipsi offerrent, ignem de cœlo lapsum, nunciasse divinum arbitrium, & judicium de cultu exhibito: Idem sibi semper similis est Deus, mutari nescius, placuit tamen ipsius immensæ sapientiæ sub diversis involucris vestitum progredi, ut ipsum vel ignis velaret, vel nubes tegeret, vel iris ostenderet, aut aliud aliquod symbolum præsentem exhiberet. Idem in verbo quoque suo observandum præbuit. Nam pridem viva voce illud proposuit, mox, ubi hominum fides & memoria fallere & falli inciperet, litera scripturæ idem vestivit, & legendum proposuit, manente eadem sub utroque signo materia. Jucundum est, hodie nos eandem, quam veteres, tenere fidem. Pontificij equidem, quæ est ipsor m sive ignorantia, sive malitia, novitatem nobis probrose o. ,iciunt, velut heri & nudius tertius nata esset religio, quam Lutheranam, à novissimo ipsius ministro, vocamus; sed eant nobiscum ad tribunal Ecclesiæ Noachicæ, ut cæteras taceamus, & audiant sententiam, quam Moses Dei minister pronunciat, utra,

nostra, an Pontificia? fides vetustior sit. Ea vetustior est, cujus capita pro veris habuit ea ipsa, quæ post diluvium à Noacho nomen habuit, & orthodoxa censetur Ecclesia. At nostra est ea, cui vetustissima illa prorsus ὁμόψηφος est, etiam quoad ea, in quibus à Papistis dissentimus. Hoc equidem fidem excedere videtur, Lutheranam Ecclesiam fuisse ante Lutherum, sed apud eos solum, qui rem à rei nomine nequeunt discernere. Id enim si nossent, dicerent, quod nos, Evangelica religio fuit, quamprimum fuit Ecclesia à Deo constituta. Nam id ipsum quovis tempore crediderunt ad salutem necessarium, quod nos hodie non possumus non fide apprehendere, ut salvemur. Hoc ut constaret, vel maximè operam dedimus, ut vel ad oculum pateret, eoque fine prolixiores aliquanto fuimus in explicandis dogmatibus, quæ nos hodiè credimus, & illi quondam approbarunt de Deo Trinuno, Christo redemptore unico, & homine per fidem in Christi merito fixam justificando & salvando. Hæc & connexa legas in hoc nostro commentario. Fata quoque Ecclesiæ, quæ fuerunt olim, non omnia, nec semper satis fausta. Nam habuit & tum sua doctrinæ Zizania, scandala in cultu & moribus, offendicula persecutionum. Habuit & collateralem eamque potentem terrenæ civitatis Synagogam, quæ non modo sanam doctrinam corrumpebat, sed etiam vitiis suis & sceleribus veræ Ecclesiæ perquam erat molesta. Is verò, qui hodie suum tuetur gregem, tum quoque vigilavit, ne Satanæ regnum nimium excresceret, aut sua militans sponsa omnino opprimeretur. Hæc piis animis firmissimo sunt solatio, si indies Ecclesiæ facies fit deterior, & hostes undique velut novum inducturi diluvium imminent, fore, ut, qui semper fuit pro suis solicitus, Deus etiam nunc arcam suam contra furores Satanæ & mundi conservet.


Quod

Quod vero ad exteros, & quidem vos, Ampliſſimi Viri, excurrere voluerim dedicando, cauſa non una, nec levis me impulit. Sucurrebat, quod & Memminga veſtra ſuperioribus bellorum motibus fuerit inſtar arcæ, in qua Eccleſiæ orthodoxæ cœtus aliquis potentiſſime adverſus ſuos hoſtes fuit aſſervatus. Quare non inconveniens cenſebam, ſi Eccleſiæ Noachicæ, ſimilia fata expertæ, hiſtoriam vobis inſcriberem. Non intelligit ſatis, aut æſtimat calamitatem ſeculi, niſi qui ipſe ſuo exemplo ſuorumque periculo ſimilem didicerit. Vos igitur optimè, quod Noachidæ pertulerunt, æſtimabitis, nam eadem fere, diluvij tamen cruenti, fata vos implicuerunt. Poſtquam vero divina aura adſpirante aquæ iſtæ receſſiſſent, nihil antiquius habuiſtis, niſi quod Noachus, aram Deo ſacram, reſtaurare, & in ea Deo veſtro Soſpitatori χαριστήρια exhibere. Atque ut hoc perpetuum eſſet pietatis officium, conſtituiſtis, non minus pio, quam prudenti conſilio, qui in Academiis diſcerent Evangelij munus Deo offerre, juvenes, qui ad futura Eccleſiæ munera à præceptoribus ſuis formarentur. Deſtinaſtis his ſtipendia ex veſtro ærario ſolvenda, inſtituto nunquam ſatis laudato; his præſertim temporibus, quibus vix locus in terra ſupereſt Eccleſiæ orthodoxæ. Neque hic ſubſtitit veſtra πρόνοια. Nam & conſtituiſtis, qui Alumnorum veſtrorum eſſet ἔφορος in Univerſitate Argentoratenſi, me, quem Venerandæ Facultatis Theologicæ Senior Dn. D. Dannhavverus, meus in Chriſto parens venerandus, vobis laudarat. Satis hoc beneficiorum fuiſſet, quod in me, iſto honore affectum, contuliſtis, ſed placuit veſtræ beneficentiæ ulterius ire. Nam addidiſtis quoq; aureum veſtri in me favoris pignus, nempe honorariuum, quo vel uti ſole veſtrum erga me animum declaraſtis, & rem meam familiarem opportune auxiſtis.

Publicè

Publicè hæc dicenda fuerunt; Nam vobis ſunt admodum honorifica, mihi vero non indecora, ut conſtaret, vos ſtudia ſacra ejusdemq; Profeſſores æſtimare, & multis aliis palmam laudis, hac quidem in parte, præripere, me vero etiam exteris promerendis, & ſtudioſis juvandis qualicunq; mea opella eſſe addictiſſimum. Cum vero inſigne hoc ſit veſtrum in me officium, ut non ſim ſolvendo, precibus, quas ad Deum pro vobis fundo, contendam, ut ipſe dignas vobis referat gratias. Nec,ſpero, incaſſum fundam. Dann deß Gerechten Gebett vermag viel/ wann es ernſtlich iſt. Deus igitur, qui ſuam Eccleſiam potentiſſime tuetur, & beneficia in ipſam collata largiſſimè compenſat, vos quoque, Ampliſſimi Patroni, & cum vobis florentiſſimam rempubl. ſalvos præſtet, donec in cœleſtem Hieruſalem tranſlati ipſum de facie ad faciem aliquando contemplemur. Valete, & favete veſtro Ampliſſimo nomini ad preces & obſequia promptiſſimo


Baltaſari Bebelio, D.



Nomina Dominorum Reſpondentium.

M. JOHANNES CHRISTOPHORUS Eckenberger/ Ratiſponenſis.
JOHANNES LUDOVICUS Schmidt/Kirchheim-Naſſovius.
HENRICUS Lufft/ Weiſſenburgenſis.
M. JOHANNES GEORGIUS Schiller/ Argent.
M. JOHANNES LAURENTIUS Engelhardt/ Argent.





In nomine Jesu Christi!

Procemium.



ABsolvimus nuper per Dei gratiam disputationibus aliquot Academicis Ecclesiam antediluvianam, & ostendimus exactam ejusdem cum nostra hodierna harmoniam in forma, cum externa, tum interna. Animus nunc est cœptam telam pertexere, quia fuerunt, qui istum nostrum laborem non improbarent, sed, ut pergeremus in instituto, auctores existerent. Noachicam igitur Ecclesiam eàdem, quâ prius, methodo tractabimus, ostensuri & hujus cum nostra Evangelica ὁμοψηφίαν. Deus cœptis adspiret nostris!

Articulus I.

Argumentum.

Auctores, unde depromta est materia scribendi, sunt vel sacri, iique vel θεόπνευστοι, vel Apocryphi: vel Ecclesiastici, vetustiores vel recentiores diversarum sectarum; vel Profani, Judæi nimirum, Gentiles, & Muhammedani. Singulis ordinibus subjungitur judicium.

§. I.

Auctores *sunt vel* (1.) Θεόπνευστοι.

MOses, Oceanus ille Prophetarum, unde reliquorum rivuli fluxerunt, fons esto, quo hortos quoque nostros rigemus. Etiamsi enim de rebus, ad Ecclesiam Noachicam spectantibus, in aliorum quoq;, sive sacrorum, sive exterorum, monumentis aliquid inveniamus, ortum ta-

men suum ad hunc fontem refert, & ad hunc examinandum est. Non equidē negamus concisius quædam à Mose dicta esse, ut vix per rimulā stillent mysteria abstrusissima, sed hoc ideo factum, ut scrutaremur scripturam, conferentes obscuriùs dicta cum clarioribus, & per consequentiarum quasi canales unum ex altero deducentes. *Quem enim non moveat ad quærendum & intelligendum Christum in illis libris? ut ea omittam, quæ, quamvis tanto suavius contemplentur, quanto ex abditioribus locis enucleantur: tamen exigunt prolixitatem dissertationis, quia pluribus attestationibus indiget.* Verba sunt Augustini lib. XII. cont. Faustum Manich. t. 6. opp. c. 14. Erat autem illi lis adversus *Manichæum, negantem in libris Hebræorum aliquid de Christo esse prophetatum.* uti se ipsemet explicat lib. XV. de C. D. c. 26. Mosen explicant & confirmant scripta Prophetarum & Apostolorum, utpote in quibus habentur vel complementa vaticiniorum, quæ obscuriùs olim edebantur, vel facies Ecclesiæ, quæ tum fuit, vel habitus doctrinæ, quæ omni tempore sonuit, vel status hominum, quorum in historia Noachica Moyses meminit, vel aliorum huc spectantium, ut ex sequentibus patebit. Etiamsi autem neque libri ἀπόκρυφοι, neque versiones, præbeant argumenta ad faciendam divinam fidem in rebus credendis & faciendis, nihilominus inserviunt libris canonicis illustrandis. Quare & hos in subsidium vocavimus interdum, sicubi opus fuit visum.

Prophetæ. Apostoli.

(2.) Apocryphi.

(3.) *Ecclesiastici*, veteres

§. 2. Auctores Ecclesiasticos cum veteres tum recentiores variarum sectarum adhibuimus. *Illos* quidem, ut in majori auctoritate constitutos, saltem apud adversarios, qui antiquitatem plenis crepant buccis, & invitam suas ad partes rapiunt. Ostendimus igitur pro nobis esse Patres in suis ad Mosen expositionibus, saltem quoad præcipua religionis capita, quæ inter nos & adversarios sunt controversa. *Hos* verò, ut vel testimonia veritatis eliceremus, pseudhermenias rejiceremus, vel aliàs benè dicta in nostram utilitatem converteremus. Licet enim vel ex leone mel, vel ex veneno antidotum parare, sic ex adversariorum scriptis petere subsidia veritatis.

& recentiores.

(4.) *Profani.* Judæi: Gentiles:

§. 3. Petiimus quædam etiam ab iis, qui plane foris sunt, puta Judæis, Gentilibus, & Muhammedanis. *Illis*, puta Josepho potissimum, & Philone; additis interdum & Rabbinorum placitis: *Istis*:

Iſtis : Nam vitula Moſaica non raro ararunt plagiarii, quod ipſis Patres non ſemel ad oculum oſtenderunt. vide Lact. l. 2. c. 10. Lamb. Danæ. lib. 3. de antiq. Moſ. c. 3. p. 350. ſeqq. *His* autem, quia in iſta Alcorani ſatura quædam ſcripturæ ſacræ veſtigia, licet confuſa, apparent. Nec moramur immatura quorundam judicia, qui neſcio quo Zelo an livore? accenſi, indignum eſſe cenſent, antiquitati & hiſtoriæ operam dare ſobriam. Perſuadent illi ſibi & aliis, Sacrum Dei verbum coinquinari, ſi ex aliis, quam *θεοπνεύστοις* literis illuſtres. At cauſſam pro nobis dicat erudititiſſimus Patrum Hieronymus, qui in idem crimen vocatus præſtantiſſimam pro ſeſe, & aliis ſcripſit apologiam. Quærebat Magnus orator Romanus, ſubornante Ruffino Hieronymi æmulo & obtrectatore: *cur in opuſculis ſuis ſecularium literarum interdum poneret exempla ; & candorem Eccleſiæ Ethnicorum ſordibus pollueret ?* R. Se ſequi exemplum (1.) ſcriptorum *θεοπνεύστων* e. g. Moſis, Prophetarum, Salomonis, Pauli, in quorum ſcriptis etiam quædam eſſent *aſſumpta de gentilium libris : Quid ergo mirum*, pergit, *ſi & ego ſapientiam ſecularem propter eloquii venuſtatem, & membrorum pulchritudinem de ancilla atque captiva Iſraelitidem facere cupio ? & ſi, quidquid in ea mortuum eſt, idololatriæ, voluptatis, erroris, libidinum, vel præcido, vel rado ? &c.* (2.) Patrum Chriſtianorum e. g. Quadrati, Ariſtidis, Juſtini, Melitonis, Apollinarii, Dionyſii Corinthii, Tatiani, Bardeſanis, Irenæi, Pantæni, Clementis Alexandrini, Origenis, Miltiadis, Julii Africani, Theodori, Dionyſii Alexandrini, Anatolii, Pamphilii; & plurium aliorum. Claudit epiſtolam, & rogat Romanum, ut ſubornanti *ſuadeat, ne veſcentium dentibus edentulus invideat, & oculos caprearum talpa contemnat.* Hæc ille t. 3. opp. f. 149.

Muhammedani.

§. 4. Ex his auctoribus alii ſunt (1.) *Textuales.* Hos præcipuè ſecuti ſumus, utpote hiſtoriæ, quam ſcribimus, accommodatos. Dolendum autem eſt pleroſque ſolis verſionibus vel Græcis vel Latinis, non ſemper caſtigatis, uſos eſſe. Nulli enim dubitamus, ſi fontes ipſos adiiſſent, quin meliorem haberemus ipſorum, in locis præſertim difficilioribus, ſententiá. Nunc autem, ſi ad fontes & fidei analogiam explicationes ipſorũ examinabantur, non raro limâ opus habuerunt. Sunt autem eminentiores, quos conſuluimus, Origenes, Chryſoſtomus, Cyrillus Alexandrinus, Hieronymus, Ambroſius,

Quales: (1.) Textuales

us, Auguſtinus, Theodoretus, Eucherius, Procopius, Beda, Rupertus, Alcuinus, Alphonſus Abulenſis; & ante hunc Rabanus Maurus, Strabus, Nicolaus Liranus, Carthuſianus: Omnes ſcripturæ interpretes. Addimus quæ in Ignatio, Juſtino Martyre, Clemente Alex. Cypriano, Theophilo Antiocheno, Irenæo, Tertulliano, Novatiano, Lactantio, Athanaſio, Euſebio, Epiphanio & aliis, huc facere videbantur. (2.) *Allegorici.* Nimii ſunt in allegoriis ſectandis interpretes, imprimis veteres, ut non raro litera vim patiatur, & ſententiæ, non tantum alienæ ab intentione Spiritus Sancti, ſed etiam inter ſeſe pugnantes, eliciantur. Imprimis autem luxuriantur in diluvio, & arca, & horum numeris, & quæ porrò circa ea contigerunt: *Dies me deficiet, ſi omnia arcæ ſacramenta cum Eccleſia componens edisſeram*, ſcribit contra Luciferianos Hieronymus. *Multi varias de hac re fabulas narrant, & hinc occaſione ſumpta obſervationes numerorum oſtendunt. At non obſervatio, ſed intempeſtiva hominum curioſitas talia fingere molitur. Unde & multa hæreſes ſunt ortæ, quod ſtatim ſcietis.* ὁμιλ. Chryſoſt. 24. in Gen. In hiſce ſententiarum & allegoriarum divortiis ſelegimus, quæ præcipuæ & probabiliores videbantur, ſecuti conſilium ab Auguſtino ſuppeditatum de C.D. lib. XV. c. 26. *Si non uno differuntur modo, ad unam tamen Catholicæ fidei concordiam revocanda ſunt.* In compendio allegorias & typos recitat Ado in Chron. an. 1948. p.m. 13. ſeqq. Denique alii ſunt (3.) *Fabuloſi* potiſſimam partem, ut ex Chriſtianis ſuppoſititius Methodius, quem laudat auctor hiſtoriæ ſcholaſticæ; & tuetur ſuperſtitioſus Monachus Jacobus Boulduccus Capucinus Prædicator. Sed ingenuè fatetur doctiſſimus Jeſuita Benedictus Pererius lib. VIII. in Geneſ. c. 6. t. 2. §. 9. & 10. *falſa eſſe & afficta Methodio*: ſecutus Bellarminum de ſcript. Eccleſ. §. 285. In hunc cenſum referenda ſunt, quæ Beroſo de rebus Chaldaicis, Xenophonti de Æquivocis, Mnaſeæ de Phœniciis, aliiſque affinguntur ab Annio Viterbienſi nugivendulo. Quid igitur allegaſti? dixeris. Reſp. Perer. l.c. §. 3. *Quod ſint quædam narrationi Moſis ſatis affinia, & per ſe veriſimilia; tum etiam, ut gratificer quibusdam viris doctis, qui ſemel illius Beroſi Anniani ſtudio fideque occupati, quamvis poſtea graviſſimis convicti argumentis, ejus tamen libri amorem ægrè poſſunt exuere.* Hæc ille. Hoc ipſo verò non rejicimus fragmenta quædam genuina vel Beroſi, vel aliorum

(2.) Allegorici

(3.) Fabuloſi.

l. 2. de Eccleſ. ante leg. c. 2.

rum

rum veterum *τῶν ἔξω*, quæ apud Patres hinc inde extant, Hieronymi, Mnaseæ, Nicolai Damasceni, Abydeni, Alexandri Polyhistoris, & aliorum, de quibus vide Joseph. lib. 1. antiq. c. 4. l. 1. contra Ap. Euseb. lib. IX. de præp. Evang. c. 4. Cyril. lib. 1. in Julian. Perer. lib. XII. in Gen. disp. 13. §. 74. seqq. Extabant enim tum adhuc auctores isti, & manibus eruditorum terebantur, ut ex fontibus ipsis hauriri potuerint, & cum ipsis conferri excerpta. vide Richard. Montacut. part. 1. annal. t. 1. §. 16. & ejusdem præfationem in Analecta.



Articulus II.

DE DILUVIO NOACHICO.

Argumentum.

Nomen Hebræum: Varia diluvia: ex priore fluxerunt. Caussæ expenduntur cum cognitionis, tum rei. Deus auctor diluvii, imprimis Filius Dei: contra Valentinianos & Marcionitas: Impulsiva caussa sunt peccata hominum, quæ secundum utramque tabulam explicantur: His enim ira divina accensa est: longanimitate tamen temperata. Aqua superior & inferior exundavit. Forma horrenda fuit. Exceptis in Arca contentis omnia aquis perierunt: contra Judæos & Pontificios. Arca jussu Dei fabricata per fidem servat Noachum cum suis & bestiis: describitur ejus materia, forma, structura, finis, locus, tempus, Duratio diluvii, decrementum, locus, signa, egressus.

§. I.

Finis Ecclesiæ Antediluvianæ, & auspicium Noachicæ, fuit diluvium. (1.) *Nomen* accepit à cadendo: Nam מבול dicitur à נבל *cadere*, quod decidens cœlitus imber, & exundantes aquæ, omnia fecerint concidere; aliis à בלה *confundere*. Varia autem apud auctores occurrunt diluvia. Nam Xenophon in æquivocis quinque numerat: Ogygium, Niliacum, Thessalicum seu Deucalionæum, Pharonicum, & Ogygium secundum; Alii duo tantum recensent, ut Clemens Alex. lib. 2. strom. f. 321. *Fuit enim*, inquit, *in Græcia tempore quidem Phoronei, qui fuit post Inachum, κατακλυσμὸς inundatio ὁ ἐπὶ Ὠγύγε tempore Ogygis*; qui vixit sub exitum Israëlitarum ex Ægypto:

Diluvii (1.) Nomina. varia.

gypto: eodem computante. Huic successit ὁ ἐπὶ Δευκαλίων@ ἐπομβρία *diluvium sub Deucalione*, quod vocat δεύτερον *secundum*, quod Eusebius in Chronicis refert ad annum post Abrahamum. 490. confer Origen. lib. 1. contra Cels. August. de C. D. lib. XVIII. c. 8. Oros. hist. Mundi lib. 1. c. 3. 7. 9. Isidor. Etymol. c. 22. Abulens. in Gen. IX. Perer. lib. XII. in Genes. disp. 13. 14. t. 2. Capon. Expl. cath. 12. part. 1. §. 1. Atqui scriptura unum tantum diluvium memorat? Resp. dist. inter universale & particularia; istud unicum est, & in scripturis solum memoratur; hæc autem plura sunt, & cum isto persæpè commiscentur. Si enim Lucianum in Timone, Plutarchum de solertia animalium, scholiasten Homeri ad lib. α. Iliad. ubi agunt de diluvio Deucalionæo, conferas cum narratione Mosaica de Noachico diluvio, deprehendes vestigia non obscura famæ ex traditione & scriptura acceptæ. vide Theophilum Antiochenum Episcopum lib. 3. contra Autolyc. f. 339. 340. orthod. Patr. Ex recentioribus Danæ. antiqq. Mosaic. c. III. ad 12. p. 383. seqq. Salianum Avenionensem Jesuitam annal. Ecclesiast. an. 2258. §. 1. seqq. Videmus exinde, quomodo fama de rebus divinis, in scriptura contentis, propagata fuerit in universum mundum, etsi vitio seculi deinde multa mendacia fuerint admixta.

(II.) Caussæ. §. 2 (2.) *Caussa*. Quia diluvium Deus voluit esse ὑπόδειγμα 1. Cor. X. 11. 1. Pet. III. 20. 21. 2. Pet. II. 6. ideoque operæ pretium est accuratius singula excutere; præsertim cum frequentes Mosis repetitiones digitum indicem intendant, judice B. Luther. enar. in Gen. fol. 131. 132. *Principium* autem duplex est, aliud cognitionis, aliud rei. *Cognitionis* est sola sacra scriptura hodie; olim verò immediata revelatio divina. Nam meræ voluntatis divinæ placitum hoc fuit, & opus, de quo natura & ratio ex suis principiis nihil prorsus scire potuit. Gen. VI. 7. Emphaticè indigitatur v. 17. repetita voce אני ego, ego: q. d. præternaturali ratione. Gerh. comm. p. 192. 139. Nec obstat, quod Cyrillus lib. 1. contr. Julian. ex Alexandro polyhistore citat, Saturnum prædixisse Xisutho futurum diluvium. Est enim ille Xisuthus Noachus, & Saturnus est Adamus, qui ex revelatione divina potuit nosse, quæ futura essent. vide Danæ. de 1. mundi æt. lib. 3. ad 11. ex Josephi lib. 1. antiq. c. 4. qui & ipse Adamum prædixisse diluvium affirmat.

Cognoscendi.

Nugæ

Nugæ igitur sunt, quæ fictitius Berosus, & hunc secuti Henricus Mechliniensis Alberti Magni quondam discipulus in commentariis ad magnas Albumazaris conjunctiones, Petrus Alliacensis Episcopus Cameracensis & Cardinalis, Guilielmus Parisiensis Episcopus tradiderunt, nempe Noam ex astris prævidisse futuram inundationem. Fuisse enim conjunctionem Jovis & Saturni in fine cancri, sideris è regione Argolicæ navis; Hinc collegisse sapientissimum Astrologum, quod diluvium generale futurum esset, cujus vim per navem eludere posset. λῆροι λ[illegible]! Moses narrat, Deum flagitiis hominum commotum induxisse terris diluvium, & vento flante revocasse in pristinum alveum; de sideribus ne γρῦ quidem meminit. vide Perer. disp. XII. in Gen. 7. lib. 12. §. 60. seqq. Genebr. lib. 1. Chronol. Capitonus expl. cath. 12. §. 3. & 4. part. 1. post Abulens. comm. in Gen. 7. Torniel. an. Ecclesiast. 1557. §. 4. *Rei* principium est tota SS. Trinitas. Nam est opus ad extra. Potissimum autem in hoc opere sese manifestavit Filius Dei, cui Pater omne dedit judicium. Joh. V. 22. 27. Unde Tert. contr. Prax. lib. c. 16. rectè scribit: *Filius Dei fuit orbem totum aquarum diluvio puniens.* Contra vapulant *Valentiniani*, fingentes nescio quem *Ialdabaoth*, quem mentiuntur *iratum hominibus, quoniam eum non colebant, neque honorificabant, quasi Patrem & Deum, diluvium eis immisisse, ut omnes simul perderet*: referente Irenæo lib. 1. contr. hæres. c. 34. Vapulant & *Marcionitæ*, qui Deum malum diluvii auctorem extitisse blasphemabant, refutati à Tert. lib. 2. contra Marc. c. 14, 15.

& essendi 1. Efficiens.

§. 3. *Impulsiva caussa* fuerunt peccata hominum. Non equidem deerant ipsis colores pietatis: Nam *coram Deo* Gen. VI. 5. 11. 12, terra fuit corrupta, ut appareat, sibi visos fuisse optimos adversus Noachum justitiæ præconem, sed Deo, qui corda scrutatur, aliter visum; Nam coram Sanctissimis hujus oculis corrupta erat non aliqua tantum, sed *omnis* caro. *Fons* mali erat peccatum originale: Nam vel ipsa cogitationum figmenta, & φρόνημα τῆς σαρκὸς erant prava, quis igitur miretur fructus malos? Digitum intendit phrasis: Filiæ האדם *Adami.* Gen. VI. 2. ut est origo peccati. Atque hoc in filiis quoque *Dei* dominabatur Gen. VI. 2. Josephus lib. 1. antiqq. Judaic. c. 3. & 17. scribit: *Filios Sethi per septem generationes perseverasse unum DEUM colentes omnium rerum,*

Meritoria: 2. *impulsiva* externa sunt peccata

filiorum Dei.

rerum Dominum, semperque respectum virtutis habuisse; procedente deinde tempore, & deinceps à patriis institutis degenerasse. Dum igitur historia filios potissimum Dei numerat inter peccatores, docet, verum esse, quod in proverbio dicunt; Heroum filii noxæ: & Deum tum maximè exasperari in pœnas, cum videt Ecclesiam suam corrumpi. Luc. XII. 47. Paulus Rom. I. 29. 30. imo ipse Deus Gen. VI. 5. voce רעה, quæ ista peccata fuerint in compendio recitant; Idem vult Euseb. l. 2. de præp. Evang. c. 7. & 9. & lib. VII. c. 3. & Epiphanius ab initio Panarii: *Quemadmodum* inquiens, *traditio habet, quæ ad nos devenit, hinc incepit fraus in mundo fieri. Et ab initio quidem per inobedientiam ipsius Adam; deinde per ipsius Cain parricidium. Nunc autem in temporibus Iared, & ultra, veneficium, incantatio, petulantia, adulterium & injustitia.* Hæc ille. Sed audiamus scripturam ipsam. In genere dicitur omnis caro corrupisse suam viam Gen. VI. 5. 11. 12. Quæ corruptio distribui potest vel juxta hierarchias, quas maculabant: œconomicam ℣. 1. & 2. Ecclesiasticam. ℣. 3. & politicam. ℣. 4. vide Gerh. comm. in Gen. VI. vel in peccata contra tabulam decalogi primam & secundam. *Primam*: Nam ea vis vocis est Deut. XXXI. 29. Ps. XIV. 3. Solius equidem injuriæ adversus proximum fit mentio. Gen. VI. 11. sed exclusivè intelligendum non est: Deus enim injuriam, in se immediatè commissam, quasi dissimulat, ut majorem suorum, quam sui, curam & rationem habere videretur. Peccasse autem & in Deum, inde patet, quod elenchum Spiritus S. ferre amplius noluerint. Gen. VI. 3. Sic enim *homines impii primum per infidelitatem à Deo discedebant, & verbum ejus contemnebant.* juxta Luther. enar. f. 112. Ansam infidelitatis capiebant fovendæ ex matrimonio Noachi. Minas enim ineptas & brutas esse putabant ejus, de diluvio imminente, qui ipse uxorem duceret, filios gigneret, & rem familiarem adornaret, non facturus id, si exitium imminere crederet. Nolebant igitur vacivas monitis aures præbere, Deus ergo *propter* istam *inobedientiam hominum superinduxit diluvium*, juxta Iren. lib. IV. c. 70. Nec enim quicquam minus ferre potest, quam contemptum verbi sui & ministerii, præsertim in suis filiis, & membris Ecclesiæ, quorum vita alios mores postulat: vide Luther. enar. f, 107. Lyser. in Noach. p. 4. 8. 13. *se*

Contra *tabulam* primam

cun-

cundam. Nam parentum monita insuper habebant, ducentes *& secundam.*
contra ipsorum voluntatem uxores ex maledicta Caini stirpe, Gen. VI. 2. Ea enim est vis vocis לקחו *acceperunt*, notante Drusio. Proximum vi invadebant: Nam erant Nephilim, qui sua violentia alios prosternebant, & injuria universam terram adimplebant. Inde progressi ad libidines ducebant uxores, quascunq;, prava voluptate accensi, vellent. Sunt, qui vitium istud colligere volunt ex fœmellis, quas genuerunt plures, quam masculos, quod signum esset intemperantiæ, utpote virtutis virilis debilitatæ. juxta Lipomannum, Pererium, Delrionem in Gen. VI. Salian. a. m. 1558. §. 7. Methodius adhuc magis exaggerat scelus, tradens, sodomiticis & incestuosis nuptiis homines istos indulsisse. Orthod. Patr. f 338. Certe Moses generaliter loquitur מכול *ex omnibus.* Ergo nullo discrimine habito, sive religionis, sive pietatis, sive numeri, sive sanguinis, sive affinitatis, & peccatorum inde emergentium. Videtur tamen adhuc aliquis superfuisse pudor, & disciplina, saltem in filiabus. Nec enim Filiæ Dei, sed filii, commiscuerunt sese cum filiabus, non Dei, sed hominum, ut videantur filiæ Sethitarum custoditæ fuisse à parentibus, contra illicitas nuptias, ut facilius est, filias, quam filios observare. Interea peccatum ab ipsis fuisse non negamus. Nam generabant *sibi*, non Deo, i. e. *dominante sibi coëundi libidine, non serviente officio propagandi; non cives Civitatis Dei, sed familiam fastus sui*, uti loquitur August. C. D. XV. 23. Rapinæ non abhorrent à genio horum hominum, ut innuit vox חמס Gen. VI. 13. Et Lucianus refert *in* Dea sua Syra ex Græcis; Nam tradit homines ante diluvium nullam jurisjurandi rationem habuisse, nec hospites recepisse, nec miserorum misertos fuisse. Securitas maxima fuit, ut patet ex Matth. XXIV. 1. Luc. XVII. 26. 1. Petr. III. 20. 2. Petr. II. 4. *Concludit* igitur *Moses, quod posteri Patriarcharum prius deseruerunt cultum & verbum Dei, & discesserunt à præceptis parentum, deinde in voluptates & libidines prolapsi sunt, & duxerunt uxores, quas vellent: Item facti sunt tyranni, invaserunt bona aliorum &c. Nam mundus aliter non potest, postquam discessit à Deo, adorat diabolum: Postquam verbum contempsit, & in idolatrias lapsus est, proruit in omnia vitia concupiscentiarum, quibus irritatur potentia irascibilis, post potentiam concupiscibilem, ut ita in omnibus appetitionibus sit extrema ἀταξία.*

Hanc cum pii arguunt, sequuntur injuriæ & tyrannis in pios. Hactenus Luther. f. 112. in Gen. vapulat Lyranus, qui ob bestiarum quoque peccata diluvium venisse somniavit, Refutatus â Luther. enar. f. 120.

Interna est Dei

Longanimitas.

§. 4. His peccatis accensa est *ira divina*, ut decerneret mundum diluvio punire. Ea autem fuit benignissimi Patris indulgentia, ut prius admonendos vellet, quam aquis vindictam imperaret. Misit enim Noachum, qui ad pœnitentiam ipsos, quâ voce, quâ reipsa hortaretur. Voce; Nam erat præco justitiæ 2. Pet. II. 6. Cui nolebant homines fidem adhibere. 1. Pet. III. 20. Existimat Lutherus *pervagatum eum totum terrarum orbem, ubique docuisse, ubique admonuisse, de vero Dei cultu.* enar. in Gen. f. 120. *Finis* erat conversio, pœnitentia, & salus hominum, alioquin periturorum: *quod etiam eos,* ita verba Dei circumscribit Chrysostomus, *qui incurabiliter peccaverunt, salvari volo, nullumque perire, idcirco vobis indulgeo & tempus* 120. *annorum, ut, si volueritis, & peccata ablueritis,* homil. 22. in Genes. cui subscribit Aug. C.D. XV. c. ult. lib. XII. cont. Faust. c. 18. q. 5. & c. 23. in Gen, Hieronymus in traditionibus Hebraicis. Intra istud tempus *opere* quoque ipso prædicavit. Nam annos saltem 100. ante diluvium accepit â Deo mandatum arcæ fabricandæ, quidquid dixerit h.l. Pererius Jesuita, refutatus â Saliano ann. 1557. §. 3. seqq. Nec solus videtur tantam molem elaborasse, sed fabros quoque & cooperarios alios adhibuisse. vide August. de genes. ad lit. c. 4. Perer. lib. X. in Gen. t. 2. Disp. 6. §. 34. quis igitur negaverit homines coævos hoc ipso insolenti opere monitos de futuro diluvio potuisse cogitare? Duobus versibus hæc omnia complexus Tertullianus lib. 3. in Marcionem de Noacho cecinit:

Bis quinquagenis arcam qui texuit annis
venturum excidium factis & voce ferebat.

5. instrumentalis est aqua

§. 5. *Instrumento* in puniendis hominibus Deus usus est *aquâ*, quæ libidines ipsorum æstuantes quasi extingueret. Vehementissima est ipsius vis, ut sustineri nequeat, & amplissima, ut omnia corripiat, & noxia, nam superficiem terræ quasi radit, & sale suo infœcundam reddit. vide Luther. enar. in Gen. f. 122. *Duplex* erat, inferior & superior. Illa indigitatur voce תהום abyssi Gen. VII. 11. *Abyssus* autem *significat copiosam aquam, ad cujus fundum non facile penetrari possit deorsum versus*, definiente Basilio

inferior

hom.

hom. 2. in Gen. & in eandem ſententiam Auguſt. in Pſ. XLI. Significat igitur hoc loco non fictitium iſtum poëtarum tartarum, quem non omnino improbant Vatablus, Oleaſter, Franciſcus Georgius in h.l. ſed ſubterraneas iſtas cavernas, & occultos meatus, in quibus aquarum theſauri repoſiti ſunt in diem vindictæ divinæ; Hos, veluti aggeribus remotis, Deus libero curſu & effuſis quaſi habenis terræ immiſit, Inferioribus hiſce aquis acceſſerunt *ſuperiores* è cœlo: Nam feneſtræ cœli apertæ ſunt. Vulgatus vertit: *cataractæ. Sunt autem, juxta Suidam, cataractæ, rupes in Iſtro flumine montis inſtar, quam latus is eſt, ſub aqua enata: in quas fluvius incidens maximo ſtrepitu regurgitat, & in rupibus morans easque ſuperans, vortices & æſtus & charybdes in orbem agitato fluxu efficit.* Sicut igitur, remota mole, aqua pleno impetu excurrit, & omnia proſternit, ita deſuper aqua in ſubjectam terram effuſa eſt, non guttatim, ut per cribrum ſtillat, ſed conferto quaſi agmine, ut magna flumina exundant. *Ligat* alias *Deus aquas in nubibus ſuis, ut non erumpant pariter deorſum; Si continuerit aquas, omnia ſiccabuntur: ſed ſi omiſerit eas, ſubvertent terram.* ſcribit peritiſſimus phyſicus Job. c. XII. 15. XXVI. 8. Nubes igitur, veluti Cataractas & obices, Deus removerat, cum aquæ deſuper ſuperficiem terræ peterent. Lutherus eleganti ſymbolo rem illuſtrat, nempe Deum ſuo veluti ſigillo aquas in nubibus obſignare, quo remoto, effluunt aquæ, imperium Domini facturæ. confer Philon. l. 2. de vit. Moſ. ſub. fin. Ambroſ. d. arc. c. 14. & 15. Rupert. d. vict. verbi. I. IV. c. 20. Ex profanis Sen. lib. 3. qq. nat. c. 27. Ovid. lib. 1. Metam. quosque porro laudat Danæ. in antiqq. Moſai: lib. 3. ad 8. p. 379. & ad 12. p. 383. & ſuperior

§. 6. *Forma*, quæ fuerit, ex dictis facile poteſt colligi. Ebulliebat aqua ex ſuis cavernis veluti ſuppoſito igne, & effundebat ſeſe citato curſu in planitiem, adimplens convalles, deinde & eminentiora loca, abripiens arbores, aggeres, ædes, homines, beſtias, &c. quicquid denique occurrebat: ſuperveniebant cœlitus aquæ, & cum fragore horrendo præcipites ruebant in ſubjectam terram, veluti Nilus ad Syenem, Liris ſub Arpino, Rhenus ad Scaphuſium, Cataractes fluvius in Pamphilia; Sic auctæ aquæ rapidiſſimo curſu abſorbebant, quidquid in terra erat, donec altiſſimos montes ſupergreſſæ unam omnium faciem redderent, aqueam; Nam omnia 3. formalis

mnia pontus erant. Videntur discrimina dierum ac noctium fuisse confusa, ut & hyemis & æstatis, frigoris & æstus vicissitudines. Nam Deus, cum negat se posthac diluvium facturum esse, promittit perpetuam istam permutationem inter ista, quæ pridem erant sublata. vide Chrysost. hom. 25. 27. in Genes. Salian. an. 1656. §. 28.

4. Materialis circa quam

§. 7. *Objectum*, in quod ferebatur aqua, erat *omnis caro*. Gen. VI. 17. quæ explicatur secundum species animalium volatilium, jumentorum, ferarum, reptilium, hominum, quidquid respirabat. Gen. VII. 21. 22. Hoc ipso excipiebantur pisces, & quidquid porro in aquis vitam degit. Nam horum vita est in aquis. Omnia quoque loca in universa terra fuerunt aquis obruta, ne altissimis quidem montibus exceptis. *Cum* enim *divina scriptura adhibito duplici signo universalitatis dicat omnes montes, qui sunt sub universo cælo, opertos esse aquis diluvii, quis ausit excipere aliquos montes?* rectè concludit Perer. lib. XII. in Gen. Disp. 9. t. 2. Salian. an. 1656. §. 32. Ex Aug. XV. C.D. c. ult. quæst. 10. in Gen. Isidorus lib. XIII. Etym. c. 22. provocat ad αὐθοψίαν: *Primum diluvium extitit sub Noë, quando hominum sceleribus offensus omnipotens, toto orbe contecto, deletis cunctis, unum spatium cæli fuit & pelagi. Cujus hactenus judicium videmus in lapidibus, quos in remotis montibus, conchis, & ostreis concretos, sæpe etiam cavatos aquis, visere solemus.* Quæritur (1.) *An etiam ex stirpe Seth quidam in diluvio perierint?* Negat Eucherius comm. in Gen. VI. Affirmant Luther. Chron. in Gen. ann. 777. t. 4. Jen. Lat. f. 692. Perer. in Gen. VI. §. 106. f. 395. Et merito. Si enim filii Seth & posteri cum filiabus hominum sese commiscuerunt, & illi ipsi fuerunt, qui Dei iram provocarunt, quis dubitet igitur de Sethitis quosdam periisse? (2.) *An etiam filii filiæve Noachi interierint?* Negant Chrysost. hom. 24. in Genes. Epiphanius, Abulensis, Oleaster, Pererius. Affirmat Torniellus an. 1537. §. 1. sed rationibus Chrysostomi, qui literam scripturæ urget, non satisfacit. (3.) *An extra arcam quidam hominum sint vivi servati?* Sunt, qui affirmant, Methusalemum, alii & Ogum, evasisse. Sed Beda urget merito universalem vocem: *Omnis* caro: *Hæreticos*, inquiens, *præcavet, existimantes, alios diluvium evasisse, ut de Mathusalem dictum est.* Nemo igitur hominum extra arcam vitam servavit suam in terra. Male autem hæc sententia applicatur ad absolutam baptismi in Eccle-

Quæstiones. 1. 2. 3.

Ecclesia suscipiendi necessitatem; qui olim Cypriani error fuit, quem incautius sectatur Isidorus in glossa ad l.c. allegatus. (4.) *An terra Palæstina; & paradisus fuerint diluvio obruta?* De ista negat 4.
Philo in antiqq. Biblicis: de hoc negant Beda, & Alphonsus Tostatus, & Pontificii communiter in comm. ad h.l. ut obtineant Henochum & Heliam adhuc in paradiso vivere & versari. Sed hanc sententiam ex professo refutat Jesuita Pererius ad Gen. III. q. 5. 5. & lib. VII. Disp. ult. q. 7. ingenuè fassus se nescire, ubi locorum manserit. Nos urgemus universales particulas: omnis caro, omnis terra: Etiam contra Præadamitam, qui particulare somniat diluvium in sola Palæstina: vid. D. Dannh. Præad. p 526. donec adversarii suam exceptionem probarint. (5.) *An omnes in diluvio aquis suffocati æternum sint damnati?* Quosdam fuisse damnatos 5.
in confesso est, ex 1. Pet. III. 18. 20. Nam non crediderunt. E. damnati sunt. Vapulat igitur Eucher. in Gen. VI. c. 37. docens pœnam æternam fuisse commutatam in temporalem. Ratio ex Gen. VI. 3. nulla est. Nam corruptio hominis allegatur caussa inobedientiæ, non divinæ indulgentiæ. Hilarius in Ps. 118. Epiph. hæres. 46. August. lib. XII. de genes. ad lit. c. 33. putant descendisse quidem in infernum, sed non, ut perpetuo ibi manerent, utpote redimendos à Christo. Verum refelluntur à Pererio Jesuita, negante ex inferno dari redemptionem. Desinant igitur Pontificii ex Patrum testimoniis, ubi de redemtione mortuorum loquuntur, statim colligere limbum, vel purgatorium. Nam & ex inferno per istos datur redemptio. Papistæ in limbo Patrum locant saltem aliquos ipsorum. Torniel. an. 1557. §. 21. rationem addit: secus conciones Noæ fuissent frustraneæ. ℞. N. C. Nam & tum fuissent non frustraneæ, si resipuissent, & mox salvati fuissent, quod de quibusdam affirmamus cum Rivet. Exerc. 53. in Gen. (6.) *An montes fuerint ante diluvium?* Sunt, qui negant, affirmantes, quod 6.
isti montes ex arena & lapidibus in diluvio fuerint congesti. Sed contrarium verum est; nempe fuisse jam tum montes, utpote quod aqua 15. cubitis altior fuerit montibus summis. Gerh. comm. in Gen. VII. p. 207. q. 5. (7.) Quomodo post diluvium bestiæ in insulas venerint! ℞. Aug. C. D. lib. XVI. c. 17. natando vel navibus. 7.

5. Remedium ejus (1.) Efficiens principalis.

§. 8. Amplissimum quidem fuit diluvium, neque tamen omnes omnino vel homines vel bestiæ perierunt: Fuit enim arca, in qua seminarium futuri orbis fuit asservatum. Hujus salutis (1.) *Efficiens principalis* fuit Deus, utpote qui Noachum jussit arcam fabricare Gen. VI. 14. fabricatam ingredi. Gen. VII. 1. seq. ingresso januam clausit. v. 16. finito certo spacio egredi jussit. c. VIII. 1. 15. Imprimis autem Filius Dei quasi Navarcha ad clavum sedit Sap. XIV. 6. utpote qui, teste Irenæo, *semper adest generi humano, & est custos Ecclesiæ suæ, quam inter pericula protegit & defendit. Hic quoque sedit ad clavum in arca, & pios Argonautas gubernavit.* Confer Aug. C. D. XV. 27. Chrysost. hom. 24. in Gen. Chytræ. f. 283. & Pelarg. Comm. in Gen. VII. p. 171.

Ministerialis.

Ministerialis caussa fuit Mathusalem, quem Lutherus f. 127. enar. putat, Dei instinctu, Noachum jussisse arcam ingredi.

Instrumentalis. Interna.

Instrumentalis erat cum interna, tum externa. *Interna* est *fides*, quæ laudatur Heb. XI. 7. Nascebatur ex mandato divino, ut ingrederetur Genes. VI. 14. VII. 1. & promisso, quod fœdere, in Messiæ futuri merito requiescente, confirmabatur. Gen. VI. 18. seqq. His fulcris nixa fides non exhorruit arcam ingredi, inter ferocissimas bestias versari, & universum fere genus humanum cum bestiis funditus interire videre. Declaravit hanc suam de Deo fidem Noachus oblato post diluvium sacrificio Eucharistico, quod non fecisset, nisi credidisset Deo suam sese debere salutem. Audiamus & Veteres: Novatianus lib. de Trinit. c. 8. *Deus*, inquit, *Noë justissimum de diluvii periculis pro merito innocentiæ fideiq; servavit.* Et Cyrill. lib. III. in Genes. *Fide*, ait, *& aqua salutem suam adepti fuerunt.* Et Oros. lib. 1. hist. c. 3. *Fidei suæ merito* servatos esse in arca perhibet. Ne offendaris voce *merito*, quasi vel fides, vel virtutes opera sint propriè meritoria. Sic enim Noah in conspectu Dei invenisset, non *gratiam*, quæ merito operum opponitur. Gen. VI. 8. sed justitiam: Meritum igitur fidei est Christi meritum, quod fides apprehendit. Christi, inquam, merito debuit Noachus, quod servatus est. Actor. IV. 12. Nugæ erant, quod Valentiniani somniabant, *contristante*, nescio *qua*, *Sophi*, *salvatos esse eos, qui circa Noë erant in arca, propter humectationem illius luminis, quod ab eo erat, per quam iterum est adimpletus mundus hominibus.* referente Irenæo lib. 1. hæref. c. 34. *Externa* caussa erant cibus & arca

arca. *Cibus.* Nam licet Deus decreverit Noam cum suis servare: ordinariè tamen id facere voluit, nempe per cibum, quem congeri jussit. Gen.VI, 21. Quæritur: *An bestiæ carnivoræ solitis tum carnibus fuerint pastæ?* Sunt, qui putant carnivoras bestias in arcam non fuisse introductas, ut Salian. an. 1. M. §. 130. Sunt, qui putant fuisse quidem introductas, negant autem carnibus tum victitasse, Deo singulari cura appetitum istum sistente. vide Torniel.an.1556. §. 13. Augustinus in utramque partem disputat lib.XV.C.D.c.27. Nos putamus bestias etiam carnivoras fuisse introductas: Nam generale est præceptum: Omnem bestiam, E. & carnivoram. Nec sequitur, quod Salianus excipit, alicubi *omnis* est nota multitudinis tantum. E. & hic loci. propria significatio signi istius omnia includit, donec exceptio evidenter probetur. Existimamus quoque bestias carnibus fuisse pastas. Nec enim miracula sunt fingenda præter necessitatem. *Varios* cibos & *solitos* jubetur Noachus comportare pro sese & bestiis: nec ulla cibi species excluditur. Alterum salutis medium erat — Cibus

§. 9. *Arca*, Hebraicè תבה. Græcè κιβώτιον, οἶκος δουράτεος & λάρναξ, sic dicta à forma, quam retulit, nempe non, juxta Aug. XV. C.D. c. ult. contra Genebr. Chron. A. M. 1556. navis, sed thecæ. Jussa est fabricari à Deo ipso, cui placuit hoc medio servare suam Ecclesiam. *Faber* erat Noa, etsi nolimus negare in tam vasta machina extruenda adhibitos fuisse & cooperarios. August.q. 5. in Gen. *Materia* erat ex ligno גופר Gen. VI. 14. variè vocem vertunt, & explicant. Alii pinum, alii abietem, alii cedrum, alii cupressum, alii bituminatum, alii quadratum, alii lævigatum; alii terebinthum intelligunt. Lutherus difficilem esse fatetur divinationem. *Apparet tamen*, inquit, *electum propter levitatem, vel etiam propter unctuositatem, ut facilius innataret.* f. 122. si quæ ex dictis sententia eligenda, diceremus fuisse pinum, unde manat גפרית resina Gen. XIX. 24 Proximior huic est, quæ dicit *Cupressum* fuisse, Nec enim nomen tantum congruit, si terminationem græcam demas κυπάρισσος, κυπάρ, cupressus, גופר: sed & materia respondet instituto, utpote quod lignum cupressinum adversus cariem & tineas faciat: Hinc Thucydides laudat Atheniensium λάρνακας κυπαρισσίνας. vide Nic. Fuller. Misc. lib.4.c.5. Bochart. in Phal. lib. 1. c. 4. — & Arca: Cujus efficiens materia

forma exter- na

1. c.4. *Forma* adhuc magis in controversiam rapitur. Quot capita tot fere sensus. Schematismos varios exhibet Pererius comm. in Genesin. Ex vetustioribus vide Origenem hom.2. in Genesin. Ex recentioribus Johannem Buteonem, & Ariam Montanum de fabricis sacris. Torniel. an.1557.§.6. Salian.§.13.seqq. Quadratam fuisse in confesso est. Nam dimensiones eam formam exhibent. Et sic orientales populi soliti sunt ædes suas formare. Lyserus in Noach. p.65. structuram hanc facit: *Ex trabibus artificiosè connexis parata est basis; trecentis cubitis longa & solata, cujus extremæ trabes crassissimæ erant, excepturæ arrectarios angulares ad angulum rectum assertos, cardinibus quadratis; itaque in castraturas subjectarum trabium infixis; denique consequentes arrectariorum ordines, quasi quatuor laterum costas, constituebant, super quos epistylia imponebantur ex trabibus ad cardinis excipiendi formam excavatis. Interius quoque cerei erant trabium ordines in columnarum modum constituti, ut transversè impositas trabes sustinere possent. Denique transversis trabibus affixi sunt ligni asseres, ex quibus pavimentum & paries conficiebatur.* Hæc ille.

& interna.

Intus aliquot erant tabulata distincta, alii tria, alii quatuor, alii quinque faciunt, *τέσηγα* illa vocantes: In superiori locant homines & aves, in medio cibos, in infimo bestias. Alii superiorem hominibus, mediam bestiis mundis, infimam immundis tribuunt: alii inferius faciunt duplex, nempe receptaculum bestiarum, & stercorum; alii *primam stercorariam, secundam apothecicam, tertiam feris animalibus, quartam mansuetis, quintam hominibus assignant.* Ut Eucherius, Beda, Albinus. Nihil definimus. Placet tamen illa sententia, quæ tria facit tabulata; Nam expresse habetur Gen. VI.15. quos vero incolas habuerint singula, in dubio relinquimus; Id certum est fuisse in singulis קנים nidos. ṽ.14. seu mansiunculas singulis paribus adscriptas: *Loca diversa, pro diversitate bestiarum. Non enim in uno loco ursi, oves, cervi, equi habitarunt, sed singula genera suas habuerunt peculiares mansiones.* Luther. enar. f. 123. confer. Perer. t.2. in Gen. lib. 10. d.7. & 8. Torniel. an. 1557. §. 16. 17. Salian. §.18.19. erat fenestra una grandior ceteris minoribus, quâ intrabat lumen, egerebantur, juxta quosdam, sordes, & emittebantur aves. Erat & janua, per quam ingrediebantur, & egrediebantur. Gen.VI.16. ea ipsa, quam Deus clauserat post Noachi ingres-

Contenti: homines.

ingressum. In hanc arcam ingrediebantur Homines & bestiæ. *Hominum* erant octo, Noachus cum uxore, tribus filiis, & totidem nuribus. Noe uxorem vocant Bathenora, juxta Epiph. d. hæres. §. 26. nurus autem: Pandoram, Noelam, & Noeglam. Berosus Tyteam vocat Noachi uxorem. Et est inter Sibyllas, quæ se Noachi nurum jactat. Vide Bochart. Phaleg. lib. 1. c. 3. Valentiniani ex numero octonario suam fictitiam ogdoadem probare satagebant, juxta Irenæum lib. 1. contra hæres. c. 15. Incerta hæc, & falsa potissimam partem putamus: Sed nec magni momenti. Id quærere lubet: An Cham ingressus arcam vera fide fuerit præditus? Affirmamus cum Luthero enar. f. 124. *Cham nominatur ore Dei inter electos & sanctos, imò cum eis defenditur & servatur, nec potest à Patre Noah discerni: Nisi enim eadem credidisset, & orasset, nisi timuisset Deum, neutiquam esset servatus in arca, & tamen postea reprobatur.* Huc facit, quod August. de Genes. ad lit. c. 4. de fabris arcæ sentit, *ideo,* inquiens, *non in eam intraverunt, quia non crediderunt, quod ille crediderat:* Ergo, quia Chamus intravit, credidit, quod Noah & reliqui crediderunt. Cum hominibus & *bestiæ* ingressæ sunt. Quo motore? Deo. Sunt qui putant, usum esse ministerio angelorum, qui eas undique cogerent; alii tempestate perterritas ad Noachum cucurrisse arbitrantur; alii tacito motu, sicut ad Adamum ὀνομαθέτην, sic ad Noachum ivisse judicant: Nec tamen impossibile est, Noachi ministerio fuisse collectas; diu enim antea mandatum acceperat, ut satis spatii haberet congregandi. Id certum est, fuisse bestias omnis generis, item volucres, alias grandiores (עוף,) alias minores (צפור,) alias mundas, alias immundas, sic dictas cum respectu sacrificiorum, tum respectu ciborum. *Mundarum* fuerunt septenæ & septenæ: paria an singulæ? Sunt qui paria putant, Justinus & Origenes. Rectius alii singulas numerant, ut fuerint tria paria, unâ superstite, eâque sacrificiorum gratia. *Immundarum* autem singularum specierum unum tantum par receptum est, hominis caussa, ne post diluvium species, noxiæ ipsi, multiplicarentur. Neque tamen ex omnibus immundarum speciebus, sed earum tantum, quæ paria faciebant, & seminaria sua nusquam alibi locorum, quam in arca, habebant. Excludebantur igitur muscæ, erucæ, locustæ, pisces, vermes &c. Vide August. lib. XV. C. D. c. 27. Eucher. & Perer.

& bestiæ.

comm. in Gen. VII.2. Erantque istæ masculi & fœmellæ. i. e. aptæ ad generandum & sese multiplicandum. vide Theodor. quæst. 50. in Gen. Luther. & Cajet. comm. in l.c. Innotuit aliquid hujus facti τοῖς ἔξω. Dicunt enim Xysuthrum, sic Noachum vocant, secum in arcam duxisse bestias, ὁμοῦ πτηνοῖς ἑρπετοῖς τε καὶ κτήνεσι πλεῖν ἐν αὐτῇ, *simulque cum volucribus, reptilibus, & jumentis in arca navigasse.* Cyrill. lib. 1. contra Julian. ex Alexandro. Arias Montanus numerat animalium terrestrium 150. species, exceptis serpentibus, & reptilibus, quorum numerantur species 25; Etiam avium species 150:

quantitas. Dicis: Major est hæc animalium moles, quam quæ capi & portari potuerit? Resp. Satis vasta erat machina ista, si cogites longitudinem, latitudinem, & altitudinem; imprimis si numeres, juxta cubitos geometricos, quos intelligunt Origen. hom. 2. in Gen. quiq; sequuntur eum, August. quæst. 4. in Gen. lib. XV. C. D. c. 27. Eucher. & Beda comm. in Gen. VI. Glyc. Ann. p. 2. Albin. qq. in Gen. Rabanus in glos. Alphons. Tost. comm in Gen. Chron. Wig. p. 6. nec procul abest Genebr. in Chron. an. 1657. Continet autem cubitus geometricus septem nostros, vel novem pedes; computante historia scholastica. Sin displicet hæc, tot veteribus probata, sententia, post Pererium, qui refutat lib. X. in Gen. disp. 4. §. 21. & disp. 5. §. 27. eligat sesquipedales, alibi in Mose usitatos; Num. XXV. 4. Torniel. an. 1557. §. 7. & 8. nihilominus satis habebit spatii, ut tot species animalium capiat. vide Gerh comm. in Gen. p. 194. § 1. 2. Quod observandum contra veterem hæreticum Apellem, quem refutat Orig. hom. 2. in Gen. & Secundum quendam Manichæum, cui sese opposuit Augustinus: negantes, eam fuisse arcæ

Bituminatio. capacitatem, ut tot bestias caperet. vide Salian. an. 1557. §. 21. De robore non est, quod dubitemus. Nec enim idoneum deerat lignum, utpote à Deo ipso electum: sed nec compages. Nam bitumine, quod juxta Ambros. de arca c. 6. *vehementis ad constringendum natura est*, constringebatur. Gen. VI. 14. Eucherius c. 59. ad 1. c. ait: *glutinis hæc est virtus, ut ligna, quæ ex eo fuerint lita, nec vermibus exedi, nec solis ardore, vel ventorum flatibus, aut aquarum possint assiduitate dissolvi:* quem sequitur historia scholastica ad l. c.

Finis. confer Bochart. Phal. lib. 1. c. 11. *Finis* erat vel principalis, gloria divina, Sap. XIV. 3. seqq. vel minus principalis, Salus hominum: con-

conſervare Eccleſiam, & propter ipſam beſtias quoque in arca contentas. Equidem videbatur extremum omnibus exitium imminere, ſed verum erat, quod poëta cecinit: *ἀσκὸς βαπτίζῃ, δῦναι δέ τοι οὐ θέμις ἐστὶν, mergeris uter in unda, at non ſubmergeris unquam.* Incolumis evaſit Noah cum ſuis, dictus merito: *τέλος καὶ ἀρχὴ ἀνθρώπων, finis & initium hominum:* Item: *σπέρμα τοῦ γένους καὶ ῥίζα τῆς φύσεως, καὶ δεύτερος Ἀδάμ.* Theod. quæſt. in Gen. *Seminarium generis, & radix naturæ, & ſecundus Adam.* Nam in ipſo velut individuo deſinebat prior; & cum ipſo incipiebat poſterior orbis. Pulchre Ambroſ. d. arca c. 13. *Florem decutit, radicem ſervat, finit, ut in profundo ſubſtantiæ virtus maneat humana.* Et infra: *Pulchre autem poſuit: delebo, tanquam literarum apices, qui deleantur ſine fraude librorum, & ſine immutatione tabularum.* confer Procop. in c. 9. Gen. Chryſoſt. hom. 24. in Gen. qui vocat *ζύμην καὶ ῥίζαν τοῦ μέλλοντος fermentum & radicem futuri*; Atque hoc fine cum hominibus, tum beſtiis ſuæ adjungebantur fœmellæ, quod *profecto intelligitur ad reparandum genus dici.* juxta Auguſt. lib. XV. C. D. c. ult. *Locus* pu **Locus.**
tatur fuiſſe Caucaſi dorſum, cum propter ſitum loci, tum propter copiam lignorum, tum propter fabulam Promethei, quem ferunt in Caucaſo alitem paviſſe, quod ex hiſtoria Noachi ſunt mutuati. Id certius eſt, quod in conſpectu hominum fabricaverit, *prædicante illis publica arca fabricatura*, uti loquitur Rupert. lib. 4. de vict. verbi. c. 16. *Tempus* fuit multorum annorum: ut colligitur ex 2. Pet. **Tempus.**
II. 5. Quot igitur? Alii 120. numerant: Alii tantum 100. annos. Nam Noah natus erat 500. annos, cum acciperet mandatum arcæ exſtruendæ. Gen. V. 32. VI. 14. Et ingreſſus eſt arcam natus annos 600. Gen. VII. 11. Sic Origen. hom. in Gen. 2. Tert. lib. 3. contra Marc. Aug. lib. XV. C. D. c. ult. lib. XII. contra Fauſt. c. 18. q. 5. & 23. in Gen. Greg. hom. XV. in Gen. Rupert. lib. 4. d. vict. verbi c. 20. Et complures alii. His omnibus ſeſe opponunt poſt Cajetanum Danæ. antiqq. Bibl. p. 330. Jeſuita Pererius t. 2. in Gen. lib. X. diſp. 6. §. 36. putantes, totidem annos non fuiſſe conſumptos in arca conſtruenda. Etſi enim nolit hic videri Patrum torrenti refragari, tamen ita loquitur, ut haud difficulter diſſenſum videas. Opponit, quod, cum Noah mandatum acciperet, filios jam habuerit uxoratos; & tamen Sem fuerit centum tantum annos natus, cum

 ingre-

ingrederetur arcam. Resp. Salian. an.1557.§.3. *Deum loqui de futuris, quasi de præsentibus: Sicut enim arca non erat, cum jussa est fieri, Sic neque adhuc erant filii, aut uxores, de quibus dicitur, ut in eam, postquam constructa fuerit, ingrediantur.* Hæc Jesuita Avenionensis. Cum Cajetani & Pererii sententia convenit Berosi apud Annium opinio, quasi 78. ante diluvium arca fuerit demum constructa. Et sanior est hæc sententia altera illa Gnosticorum, qui nescio quam Noriam Noachi uxorem somniabant, quæ, juxta istos, arcam aliquoties extenderit. Vide Epiph. hæres. 26.

6. Adjuncta. Tempus: initium.

§. 10. *Tempus* diluvii fuit annus Noachi 600. dies 17. mensis secundi. Gen. VII. 11. cum septem diebus ante jussus esset Noachus cum suis arcam ingredi; quos præmitti voluit Deus, ut vel adhuc pœnitentiam ageret mundus: sed cum frustra esset admonitio, venit diluvium anno, die, & mense, quo diximus. Curiose tempus annotatum est, in gratiam computi, qui alias fuisset incertus post diluvium. Erat autem, juxta communiorem opinionem, mensis secundus anni sacri, incipientis à mense Martio & Aprili desinentis, quem Nisan vocant. *Secundum mensem verni esse temporis non ambigitur, quando augentur nascentia, ager parturit, terrarum pariter atque animantium fœtura se fundit; Tunc ergo fecit diluvium, quando dolor eorum major foret, qui in sua abundantia puniebantur, tunc ultio terribilior.* Ambros. de arca c.14. confer historiam Scholasticam, Lutherum, Lyserum h. l. Annum civilem putat Joseph. l. 1. antiq. c. 5. mensem Marsonanen, quem sequuntur Scaliger l. 5. de emend. temp. Rivet. Exerc. in Gen. 54. post Danæ. antiq. Mosaic. p. 344. Beroald. lib. 1. Chron. c. 7. Stuck. lib. conv. quæst. c. 33.

medium.

Duravit imber 40. dies & totidem noctes; quæ ipsa mora saluti hominum erat destinata, ut vel intra hoc spatium pœnitentiam agerent, & quoad animam saltem salvarentur. Potuisset enim uno momento aquis omnia implere Deus, quod, cum non sit factum, longanimitatis divinæ argumentum est. Supergressa montes celsissimos aqua, stetit 150. dies, nec frustra. Nam interea resolvebantur cadavera, quæ putredine sua aërem infecissent lue, si aquæ mox fuissent remotæ. Exactis diebus 150. adeoque, juxta quosdam post initium diluvii, 190. s. post sex menses solares cœpit *decrescere* aqua. *Instrumentum* Dei, quo exsiccabat, erat ventus: creatus an

increa-

increatus? Increatum intelligunt Ambrosius, Theodoretus, Eucherius, Procopius, Alcuinus, glossa ordinaria: Creatum autem Athanas. de Sp. S. ad Serap. f. m. 275. Cui nos subscribimus, ita tamen, ut Sp. S. operationem peculiarem non excludamus. Ille tamen sensus magis literalis est. Solet Deus creaturarum uti ministerio, adeoq; & vento, forsan exsiccante isto, & serenante borea, quem sub imagine Tritonis receptui aquis cecinisse canit Ovidius. Alii orientalem Eurum ponunt Exod. 14, 21. Philo l. 2. de vita Mos. sub fin. addit vento vim solis exsiccantem, quem sequitur Rupertus. Receperunt autem sese aquæ ad suum principium. Nam reversæ sunt. Gen. VIII. 1. *Nota, secundum Ecclesiasten, quod omnes aquæ atque torrentes per occultas venas ad matricem abyssum revertantur.* Hieron. quæst. in Gen. t. 4. opp. Luther. gloss. Alcuinus ad l. c. *Locus*, ubi arca quievit, erat mons Ararat. Gen. VIII. 4. Spectat iste ad Taurum, qui mediam secat Asiam; dicitur Imaus, prima sui parte, & Caucasus, ubi celsissimus est: Orientalis est hic mons respectu terræ Sennaar, Gen. XI. 2, quo profecti sunt, qui arcam egressi fuerant. Ita Luther. Chytræus h. l. Alii Cordyæum volunt, alii Barin vocant, & Lubarem; alii Celænarum collem; alii montana Arabiæ, vid. Theoph. Antioch. lib. 3. contra Autolyc. f. 340. Joseph. lib. 1. antiq. c. 4. Niceph. lib. IX. hist. Eccles. c. 19. Benjam. Tudelens. itiner. p. m. 107. Fuller. Misc. lib. 1. c. 4. Bochart. Phal. lib. 1. c. 3. Præter commentatores. Josephi verba hæc sunt: *Fertur & navigii hujus pars in Armenia apud montem Cordyorum superesse, & quosdam bitumen inde abrasum secum reportare, quo maximè, vice amuleti, ejus loci homines uti solent.* Eadem fere refert Benjamin de Omare quodam Alcitabi filio, quod arcæ reliquias inde translatas fecerit templum Muhamedanum. Superstitio est, qualem de Noacho & posteris non legimus. *Signum* decrescentium aquarũ Noah captabat ex avibus. Ex avibus, inquam; Neq; enim quadrupedia locũ invenissent, ubi pedem figerent. Avibus autem non quibusvis, puta natantibus, ut anatibus, aut anseribus; neq; aliorsum volantibus; ut ciconiis; sed ferè domesticis; corvo primum, qui tamen non revertebatur. Cur? dicunt ob cadavera, quibus insidebat. At videntur cadavera jam tum fuisse resoluta. Forsan igitur ideo, quod liberiore aëre frueretur: Certè ob augurium factum non est, quod putat Ambros. de arca. c. 17. *Columbam*

Finis & instrumentum.

Locus.

Signum.

lumbam submisit; quæ reversa est, non inveniens, ubi requiesceret, aut per humidum aërem amplius volaret. Secundam emisit, quæ reversa attulit ramum olivæ, certissimum signum diluvii desinentis, & seculi renascentis. Unde vapulant Rabbini, quos sequitur Bell. de grat.1. hom.6.12. somniantes, columbam ex paradiso decerpsisse ramum. Qui enim Noah inde potuit colligere, aquas diluvii decrevisse? Bene Ambros. d. ar. & Noe. c.19: *Si ante diluvium fuerit folium exortum, vir justus gavisus est fructum de veteri semine aliquem reservatum, & inde colligit misericordiæ insigne divinæ, quod jam diluvium removisset, quæ fructum demonstraret, cui non possent nocere diluvia. Si diluvii tempore natum est folium; advertit itaque justus nova semina misericordiæ fructificasse cœlestis, ut radices arborum virerent, & quasi resumpta anima fœtus germinarent vetustos, atque in assuetos partus redirent, quorum judicium prævisa folia demonstrarent.* Hæc ille. Exactis septem diebus tertiam emisit columbam; *quæ, cum, egressa, non rediisset, maximum illi indicium fuit, quod sufficientem invenerit refocillationem, & aquæ in universum desierint*; explicante Chrysostomo hom. 2. in Gen. Cur *septimo* quoque die emiserit? disceptat Abulensis q.11. ad Gen. 8. & putat ob influxum lunæ esse factum, quod sub istum aquæ soleant decrescere & intumescere. Forsan ideo, quod septimo quoque die Sabbathum esset, in quo Deum implorabat Noah, ut miserum liberaret, eoque fine aves emittebat, signum Dei exorati allaturas. Innotuit aliquid hujus rei gentilibus: Nam, ut patet ex Plutarchi libello de solertia animalium, & Cyrilli lib.1. cont. Jul. Euseb. de præp. Evang. IX. columbas dixerunt Deucalioni præstitisse, quod scriptura Noacho tribuit. *Egressus* est Noachus, ætatis suæ anno 601. die 27. mensis Jiar secundi; postquam integrum annum solarem, & amplius, juxta quosdam, molestias, quas describit Chrysostomus in Genesin, pertulisset infinitas. Nam ingressus est arcam die 17. mensis secundi: pluebat per 40. dies: aqua stetit 150. dies: Mense septimo die 17. arca requievit in monte Ararat: post dies 74. humiliorum montium cacumina patebant: die 10. Februarii Noah emittit corvum & columbam, die 17. columbam secundam; die 24. tertiam; Aprilis die 1. tectum removet; exactis diebus 56. tandem jubente Deo egreditur: *Commoratus est in arca integrum annum*

Egressus.

annum solarem, qui 12. menses Lunares synodicos, & 11. dies Epactas continebat. Chytræi in Gen. f.282. Sed minus cum scriptura congruus computus est. Rotundius sic computes (1.) Noah ingressus est anno ætatis 600. die 17. mensis secundi : egressus est die 27. mensis secundi anno ætatis 601. Ergo fuit in arca Annum unum, & dies 10. (2.) Ingreditur die 17. mensis. 2. post 150. dies arca sistitur mensis 7. die 17. ℣.4. post dies 73. eminent cacumina. Erat mensis decimi dies 1. post dies 40. emittitur corvus. ℣.6. erat mensis undecimi dies 10. post septem dies ter emittuntur columbæ, sunt 21. dies. Erant ejusdem dies 17. & 24. & mensis duodecimi dies 1. post dies 29. removetur tectum ℣.13. erat mensis. 1. dies. 1. post dies 57. terrâ arida Noah egreditur. ℣. 14. collecti faciunt 370. dies. confer. Ambros. de arc. c.17. hist. Scholast. c.33. Lyser. in Genes. l. c. Scal. emend. temp. lib.1. f. m. 101. *Allegoriæ*, ex historia de diluvio & arca deductæ, cum interdum tanti non sint, maluimus omittere, & practicis committere, aut, si insigniores, in sequentibus, ubi locus & occasio tulerit, illustrationis ergo addere, ne quid omisisse videremur. Vide in Compendio B.Gerh. comm. in Gen. p.196. §.3. seqq.



Articulus III.

DE ECCLESIÆ NOMINIBUS ET TYPIS.

Argumentum.

Ecclesiæ Nomen triplex est. Dicitur enim tabernaculum Semi, sensu licet diverso. Item Filii Heber, sensu quoque nonnihil discrepante: denique & Filii Dei, oppositi filiis hominum. Typus ejus est arca & tabernaculum Noachi.

§. 1.

TRiplex Ecclesiæ nomen in historia Noachica occurrit. Nominantur enim (1.) אהלי שם. Gen. IX.27. *tabernacula Semi*, in quibus Japhet habitaturus esset. Triplex est loci hujus expositio. Alii enim referunt ad Deum ipsum, quod ipse habitaturus sit in tabernaculis Semi, nempe per incarnationem, in qua verbum Dei

Ecclesiæ I. *Nomina*, (1.) Tabernaculum Sem sensu diverso. I.

Dei tabernaculum ſuum habuit in utero B. Virginis, aſſumpta humana natura. Sic exponit Chaldæus paraphraſtes, Theodoretus, Lyra, Toſtatus; vide Fagium in notis ad Paraphraſten : Et quæ infra in loco de Chriſto dicemus.
2. Alii autem referunt habitationem ad Japhetum,& intelligunt vocationem gentium,quæ futura erat in N. Teſtamento. Sic enim Auguſt. t. 6. opp. lib. 12.con. Fauſt. Manich. c. 20. *Videte*, inquit, *Manichæi, videte, ecce in conſpectu veſtro eſt orbis terrarum, hoc ſtupetis, hoc doletis in populis veſtris, quia lætificat Deus Japhet : videte, ſi non habitet in domibus Sem i.e. in Eccleſiis, quas Filii Prophetarum, Apoſtoli, conſtruxerunt.* Confirmat ex Eph. II. 19. & repetit de C.D. lib. XV. c. 20. Subſcribit Theodoretus quæſt. 58. in Gen. allegatus in catena Patrum p. m. 65. *Deum* (Noah) *prophetavit habitaturum in tentoriis Sem. Habitavit autem apud Patriarchas, qui ex Sem orti ſunt : & apud Prophetas, qui ex illis deſcenderunt ;* ϗ ἐν τῇ σκηνῇ πρότερον, καὶ ἐν ἱεροσολύμοις ὕστερον. i.e. *& prius in tabernaculo, poſterius Hieroſolymis.* Rupertus lib. 3. de vict.verbi.c.1.explicat prius tabernacula Sem; *Adoptionem*,inquiens, *filiorum Dei, & gloriam, & teſtamentum, & legislationem, & obſequium, & promiſſa intelligimus, quæ omnia data ſunt ſemini Abrahæ, qui fuit de poſteritate Sem.* Deinde ſubjungit habitationem in hiſce tabernaculis : *In tabernaculis habitabant confitentes, quia peregrini, & hoſpites ſunt ſuper terram.* Militantem igitur, & adhuc peregrinantem Eccleſiam Noah, Ruperto explicante, intellexit, quam ſub pellibus quaſi compeſtribus locat Paulus Hebr. XI. 9. 13. Cedrenus exprimit Eccleſiam N. T. Sic enim ſcribit : *Reconditiorem ſenſum eruendo intelligimus, quod Japeti fere tota portio baptiſmum ac fidem in Chriſtum eſt amplexa, quod per Semi tabernacula notatur.* Comp. hiſt. f.11. ſuffragantur recentiores Luther. enar. f. 155. *Eccleſia Judæorum & gentium depicta eſt.* Lyſer. in Noach. p. 361. *Hoc*, ſcribit, *non intelligendum eſt de externis tabernaculis, ſed de Eccleſia. Sicut etiam Chriſtus ita loquitur* (*Luc. XVI. 9.*) *monens, ut nobis ipſis amicos faciamus ex Mammona iniquitatis, ut nos recipiant, cum defecerimus, in æterna tabernacula. Vaticinatur igitur de vocatione gentium, quomodo illæ poſtremis temporibus quoque ad agnitionem veri Dei, & ad communionem ſanctorum ventura, atque intra gremium veræ Eccleſiæ Chriſti recipienda ſint.* Hæc ille. Confer Chytræ. in Gen. f. 289. Walther. in offici-

offici. Bibl. p.737. Fuller. misc. lib.2. c.4. Calvin. Comm. in Gen. f.74.75. Emman. Sa. in h.l. Boulduc. de Eccles. ante leg. lib.2. c.5. Sensus hic priori, de incarnatione verbi, non reclamat, sed subordinatur. Unde Theodoretus, qui de Ecclesia explicuerat, subnectit, ultimum vaticinii complementum fuisse, cum Christus incarnaretur: *Sed ad unguem* (ita verba sonant) *praestitit, quod pollicebatur prophetia, mysterium dispensationis, quando Dei verbum, & Dei Patris unigenitus corpus nostrum induit, templum sibi comparans de genere David, Abrahaeque, de prosapia Sem.* Haec Episcopus Cyrensis. Tertia sententia in meris corporalibus subsistit, & est cujusdam Diodori in catena patrum f. 64. allegati. Quaerit enim: *quid illud: Habitet Japhet in tabernaculis Sem? Nonne apertum est vaticinium? Etenim postea Mada. i.e. Medus; filius Japhet, pulcherrimam omnium regionum, in quibus Sem consederat, occupavit. Medeam scilicet, qua bona pars est Persici agri.* Haec ille. Non exhaurit expositio, nec tangit mentem Spiritus Sancti. Siquidem Noah his verbis benedicit filiis, & probat ipsorum facta: jam vero maledixisset Semo, si Japheti posteris adjudicasset ditionem Semi; aut violentam horum occupationem probasset. 3.

§. 2. (2.) *Filii Heber.* Gen. X. 21. Disputant inter se: An Hebraei dicti sint ab Heber filio Salae, nepote Arphaxad? num vero à transitu sive Heberi, sive Abrahae. *Prius* affirmant Joseph. lib. 1. Antiq. c.6. Euseb. de praep. Evang. lib. VII. c.3. August. lib. XVI. de C. D. c. 3. Eucher. comm. in Gen. X. 21. Ado. Chron. an. 1724. Luther. enar. in Gen. X. sub fin. Chytrae. in Gen. f. 299. Buxtorff. diss. de ling. Hebr. Fuller. Misc. l.4. c.4. Rivet. exerc. in Gen. 66. Cajet. in Gen. X. qui Theodoretum refutat; Boulduc. lib. 2. de Eccles. ante leg. c.9. *Posterius* affirmant Hieronymus & Theodoretus quaest. in Gen. 61. & ex recentioribus Grotius & Erpenius. Priori sententiae nostrum nos calculum addimus, ita tamen, ut posteriorem non omnino excludamus. Nam עבר nomē accepit ab עבר transivit: ut remote saltem gens Hebraea à transitu nomen acceperit, sive Eberis, sive Abrahami. Quis autem ille Eberis transitus? Existimamus persecutionis ergo transiisse, quam sustinebat Ecclesia ex Nimrodo, qui suis ipsam sedibus ejiciebat, ut alio transire cogeretur: *Hujus tempore accidit, ut Nimrod ex Meridionali plaga irrueret*

Filii Heber sensu 1. 2.

in orientem, & piam posteritatem inde ejiceret. Itaque boni Patriarchæ mutarunt sedes, sicut de Assur supra diximus. Hæc Lutherus enar. f. 163. innuens transitum Eberi & piorum ex metu persecutionis: qui ipse tamen paulo post scribit: *Ab Eber Ebræa gens nomen accepit, tanquam hærede, cui promissio de Christo destinata est præ omnibus totius mundi populis.* Sunt igitur duæ istæ sententiæ non toto cœlo diversæ. Proximè autem denominans Hebræorum forma est Heber celeberrimus ille Patriarcha & Ecclesiæ antistes. In hunc derivata est promissio Messiæ & simul doctrina orthodoxa, quam sanctè custodiebat, ut ab ipso appellarentur, quotquot religionem viri sequebantur, nempe *Filii Heber*. Boulduccus l. c. studiosos & religiosos ex ipsis facit, qui sub auspiciis Heberis velut Archimandritæ sanctioribus studiis & vitæ sese dederint: Eo modo, quo alibi *Filii Prophetarum*, i. e. studiosi laudantur; Sed incerta est consequentia à nomine appellativo ad proprium: Filii *Prophetarum* dicuntur ideo, quia peculiare genus vitæ sub Prophetis præceptoribus sequebantur. E. Filii quoque *Heber* ex eadem caussa ipsius filii nuncupantur. Unde ipse Capucinus fatetur, id nominis deinde fuisse commune toti Ecclesiæ: *Factum est, ut nomen, quod speciale prius erat illorum Prophetarum, toti fidelium multitudini sit attributum.* Nec displicet ratio appellationis, desumpta à fide & religione Eberi: *quia cum apud illos Prophetas filiosque Dei Heberis discipulos tanquam sapientiores, sanctiores, officioque Doctores cum lingua sancta verus Dei cultus remansisset, omnes, qui illis adhæserunt, veramque religionem in tanta rerum simul ac linguarum confusione amplexati sunt, cujuscunque nationis essent, aut familiæ.* Hæc ille. Confer. Gerh. comm. in Gen. XI. q. 3. p. 274. Non infrequens est hæc denominandi ratio, ut patet illustri exemplo Abrahami, qui Pater omnium gentium dictus est, quatenus eadem, quâ ipse, fide erant præditæ. Rom. IV. 11. 12. Non igitur sacrilegium est ab homine denominari, si Hebræi ab Heber nomen acceperunt.

(3.) Filii Dei. §. 3. (3.) *Filii Dei.* Mentio *filiorum hominis* fit Gen. XI. 5. innuens oppositionem inter filios Dei, & filios hominum, quorum illi ex Deo nascuntur per verbum & sacramenta, fidei instrumenta; Hi vero ex corrupta hominum natura, quam servant irregeniti. *Insignem autem contemptum ostendit, quod vocat filios Adam*

dam seu hominum filios, illos tyrannos & superbos ædificatores. Facit autem hoc ea ratione, quâ suprà, ut differentiam faciat inter veram & falsam Ecclesiam, inter filios Dei & hominum. Nam hominum filios vocat, qui carent verbo, qui sunt perditi & deplorati hypocritæ. Sic Luther. enar. in Gen. f. 168. Sequitur Philonem lib. de conf. ling. f. 267. Nam & ille sic explicat filios Dei: *Qui scientiam* (Dei) *habent, unius Dei filii appellantur merito, sicut & Moses fatetur, dicens: Filii estis Domini Dei: Et alibi: Deum, qui te genuit: Et: nonne hic ipse pater tuus est?* Oppositum, nempe *filios hominum*, exponit Aug. C.D. lib. XVI. c. 10. esse *ad civitatem pertinentes, quæ vivit secundum hominem, non secundum Deum.* Vide Gerh. comm. in Gen. XI. p. 266.

§. 4. *Typus* Ecclesiæ illustris fuit *arca* Noachi: juxta communem Patrum expositionem: Tertul. d. idol. c. ult. de baptismo. c. 8. August. lib. XII. cont. Faust. Man. c. 14. lib. XV. C. D. c. 26. Hieron. t. 3. contr. Lucifer. f. 66. Cyrill. lib. III. in Gen. f. m. 11. Greg. M. hom. 12. in Ezech. Rupert. lib. IV. in Gen. c. 73. Procop. in Gen. IX. Isidor. c. 14. in Gen. Ado Chron. 1948. Gerh. Loc. de Eccles. §. 25. Sunt quoque, qui *tabernaculum* ejusdem Noachi faciunt Ecclesiæ figuram. Vide Pelargi commentarium in Gen. XI. 21. *Typi* arca: & tabernaculum.



Articulus IV.

DE MINISTERIO ECCLESIASTICO.

Argumentum.

Nomina sunt Prophetæ, præcones justitiæ, pastores. Non Saga, Olybama, Arsa, Filii Heber, Venatores. Caussa Efficiens est Deus; ministeriales sunt homines. Materia ex qua, seu subjecta erant primogeniti. Non mulieres. In specie Noah, Sem, Japhet, Arphaxad, Ascenas, Dodanim, Sala, Eber, Peleg, Regu. Potestas ordinis & jurisdictionis cum interna tum externa. Ordines. Matrimonium: Fata varia. Pœna adversariorum.

§. I.

Fuisse aliquod ministerium Ecclesiasticum in Ecclesia Noachi extra dubitationis aleam ponimus. Cum enim fuerit Eccle- *Ministerii* (1.) Existentia,

sia,

sia, oportet & ministros Ecclesiæ extitisse. Colligitur Ecclesia ex credentibus, qui præsupponunt prædicantes, à quibus audiant verbum, fidei generale Instrumentum. Rom.X.14.seqq.

(2.) *Nomina* Prophetæ. §. 2. (1.) *Nomina* ministrorum quæ fuerint, observandum est. *Propheta* dicuntur Actor. X. 43. quotquot in V.T. de venturo Messia oracula reddiderunt: Reddidit autem illustre Gen. IX.26.27. Noachus, quare nomen Prophetæ meretur. Seder olam c.21. tres celebrat hujus Ætatis prophetas Noë, Sem, Heber. Præcones justitiæ confer Danæ. lib.IV. antiqq. Mosaic. c.4. Idem dicitur *præco justitiæ.* 2.Pet.II.6. ab officio, quo functus est, non tantum ante diluvium, quod in confesso est; sed etiam post ipsum. Nam Sacrificiis exhibitis Gen.VIII.20. prædicavit justitiam Dei, cum hanc, quæ peccata morte ulciscitur, tum istam, quæ homini imputatur, & est meritoria Messiæ, sacrificiorum antitypi. Heb.IX.12. Nec dubium est, quin post diluvium suis posteris, præsertim degenerantibus, concionando sæpe inculcarit iram divinam in diluvio visam: ut abstinerent à peccatis. Imo diserte Gen. IX. 25. seqq. concionem habet ad filios, singulis fata sua dispensans. Quare non est opus, ut confugiamus ad personatum Berosum, qui sub non sagæ: Noachi nomine aliquem laudat *Ogygem Sagam*, i. e. *illustrem sacrorum Pontificem*, quem & *Olybamam & Arsam* Armeni dixissent, à Cœlo & Sole, quorum scientiam hominibus propinasset. Pertinent hæc ad apinas tricasque, quales multas illud spectrum venditat. Saniora conjicere possumus ex nomine רעו Regu Gen.XI. sed Pastores, 20. quæ vox *pastorem* significat. Spiritualis enim intelligi potest, ut erant isti Patriarchæ Ecclesiarum ministri, qui suos in pascua verbi nec Filii Heber divini duxerit, κατ' ἐξοχὴν *pastor* dictus. De *filiis Heber* contra Boulduccum diximus art. III. §.2. An & *venatores* dicti Gen. X. 9? nec venatores. Sic putat Boulduccus l. 1. c.9. quod *bonis concionibus & exemplis venaretur homines, & Deo acquireret.* Jer. XVI. 16. At divinandum non est, quomodo sit venatus, nempe, ut imperium conderet.

(3.) *Caussa:* Deus. §. 3. (2.) *Efficiens principalis* est Deus. *Colligitur* ex sacrificio Noachi. Nam odor ipsius Deo placuisse dicitur Gen. VIII. 21. jusserat igitur Deus offerre; secus ex fide non fuisset sacrificium, nec Deo placuisset. Si autem Deus Noachum jussit offerre, ergo

ergo hoc ipso vocavit ad Ministerium Ecclesiasticum. *Confirmatur* ex Gen.VI.13. Nam Deus revelat Noacho, prophetæ suo, futurum diluvium, qui Dei mos est perpetuus. Amos.III.7. *Illustratur* ex Gen.XI.13. Nam Schalah nomen habet à mittendo: Significat vox *missum ad docendum & corrigendum*, explicante Walth. offic. Bibl.§.703. p.743. Quis autem alius miserit, quam Deus ministerii auctor? *Ministerialis* caussa sunt homines in officio sacro constituti. Colligitur ex Gen.IX.26. ubi Noachus θεόπνευςος Semum consecrat sacerdotem posthac futurum in tabernaculis suis, i.e. vera Ecclesia, ex cujus stirpe Messias erat proditurus. Perinde ut Isaacus grandævus filium suum Jacobum dotavit honore primogenituræ, ad quem spectabat & jus sacrorum, ut hoc ipso sacerdotem ipsum crearit. Apage iterum nugas Pseudoberosi, qui tradit, Noachum constituisse, nescio quem, Sabbatium Sagam Armeniæ Episcopum. Recentiora enim secula id nominis olet, quam ut Noachi temporibus tribui possit. & homines.

§. 4. (3.) *Materia*, ex qua sumebantur sacerdotes, erant, juxta Hebræos, apud Hieronymum in qq. Hebr. *primogeniti.* Verba Patris ita sonant: *Tradunt Hebræi, Sem, filium Noë, fuisse Melchisedech, omnesque primogenitos Noë, donec sacerdotio jungeretur Aaron, fuisse Pontifices.* Quæ sententia non placet illis, qui Patriarchas illos Gen. XI. 10. seqq. enumeratos constituunt summos in Ecclesia Pontifices. Neque enim omnes illi erant primogeniti, ut patet ex Arphaxade, qui Semi filius fuit tertio genitus. Sed dici potest cum Seld. lib. 1. de successʃ. Pontif. c. 1. jus sacrorum singularibus de caussis potuisse transferri ex primogenitis in reliquos fratres, adeoque ab Elamo Semi primogenito in Arphaxadem tertio genitum, ex cujus Stirpe Messias erat proditurus. Confer, si placet, Eccles. antediluv. §.9. part.1.p.16.17. Alia quæstio est de *mulieribus*, An & ipsæ fuerint sacro ministerio admotæ? Affirmat Genebrandus in chronico, juxta Salianum, & probare vult ex 2.Petr.II.5.ubi Noah videtur appellari octavus præco justitiæ, quasi omnes illi & illæ, qui & quæ intraverant arcam, fuissent præcones. Et confirmari potest ex oraculis Sibyllinis: Est enim inter Sibyllas, celebres illas prophetissas, quæ in arca se fuisse ait cum socero suo, socru, marito, & leviris. ℟. Salian. an.1600. not

Subjecta primogeniti. *Sed & alii.* *Non tamen mulieres.*

octavum referri oportet ad verbum custodivit, *non ad* præconem. Quasi octavus præco fuerit custoditus, sed quod præco, qui octavus fuit inter servatos, fuerit Noachus. Sibyllas non est, quod moremur, cum fides ipsarum pridem sit explosa.

Noachus. Sem. §. 5. *In specie* de ministris Ecclesiæ loquendo, occurrit (1.) *Noachus:* quem Ecclesiæ antistitem fuisse. §. 2. probatum est. (2.) *Sem:* Fuisse & hunc sacerdotem ex tabernaculis ipsius patet Gen. IX 27. in quibus dubio procul sacerdos operabatur. Certè benedictio parentis Noachi sacerdotalem ipsi dignitatem demandavit. *Sacrorum administrationem Semo proprie (* Noah *) attribuit, cujus Deum beatum idcirco prædicat*, scribit doctissimus Nic. Fuller. misc. sacr. lib. 2. c. 4. Seder Olam c. 21. inter *Prophetas* refert Semum. Hieronymus in qq. Hebr. ex traditione Hebræorum Semum facit Melchisedechum, quæ expositio si vera esset, ut non est, certè dubia est, clarissimum omnium esset testimonium. Nam Melchisedech expresse dicitur Sacerdos Dei altissimi. Gen. XIV. 18. Semi filius

Arphaxad. Japhet Ascenas. fuit *Arphaxad*, quod vertunt sanans vastitatem, nomen ministris Ecclesiæ congruum. *Japheti* quidem nulla in sacris fit mentio, quod fuerit Minister Ecclesiæ; non tamen repugnat ipsius pietati. Certè gentiles de suo Japheto fingunt, quod hominem ex luto finxerit, & ignem cœlo deduxerit, *hanc forte ob causam; quia ex ipsius sermonibus doctrina de Creatione protoplasti ad gentes emanavit, & quia veram sapientiam, qua est radius lucis divinæ, videlicet doctrinam de Deo, præcepta de moribus, & leges motuum cælestium, & cæteras artes hominibus tradidit.* Conjectura est non spernenda B. Chytræi comm. in Gen. f. 290. Hujus ex Gomare nepos fuit *Ascenas.* q.d. custos ignis scilicet sacri, quæ est sacerdotum cura: *Etymologia nominis significat, ipsum antecelluisse auctoritate propter doctrinam & virtutem, cum præesset religioni, quia Ascenez est aut custos ignis, aut sacerdos ignis.* Polyc. Lyser. in Noach. p. 392. Fuit Ascenas ille primogenitus Gomeris filius, quare jus sacrorum ad ipsum spectabat. Alius

Dodanim. Arphaxadis, nempe ex Javane filio, fuit nepos *Dodanim* dictus. Gen. X. 4. dilectum significat. Oraculum celebre Dodonæum ex hoc nomen accepisse videtur. Nam duas columbas laudant ibidem fatidicas: *Hæc ex diluvii historia emanasse, & à posteris, qui doctrinam Patrum amiserant, depravata esse apparet. Consentaneum est enim*

Doda-

Dodanim nepotem Japhet in ea Epiri ora sedem Ecclesiæ & Scholæ constituisse, in qua verâ de Deo doctrina ad posteros propagaretur. Chytræ. in Gen. X. 4. Certè Javan Græcorum parens est, & circa maria Jonicum & Ægeum consedisse creditur, ut non sit absurdum Dodanim Epirum, ubi oraculum Dodonæum erat, occupasse. Revertimur ad posteros Semi. Arphaxad genuit *Salam*, quem Ecclesiæ ministrum fuisse ex nomine conjecimus, quod missum, puta ad ministerium Ecclesiasticum, significat. Muhammedani vocant Zalechum, & inter prophetas postdiluvianos numerant, uti ex ipsis refert Cl. Hotting. hist. Orient. lib. I. c. 3. p. 29. Quod ipsum de *Ebero* ex iisdem refert. Nam verba concionum ab utroque habitarum repetit ex Alcorano. Non quidem sic appellant. Nam *Hud* ab ipsis vocatur, ex circumstantiis tamen, & ipsorum Arabum testimoniis patet, quod ille ipse Eberus sit. p. 27. Certè *Heber, ut scriptum reliquit R. Jose, magnus fuit Propheta, quoniam afflatū Spiritus Sancti filium suum Phaleg nominavit, à futura scilicet divisione in fine vitæ ejus*: ut ex Seder olam referunt Genebrardus c. 1. & Salianus an. 1788. §. 5. qua de re infra pluribus dicemus. De *Peleg* vestigia nulla invenimus. Non tamen absurdus esset, qui diceret parenti in Episcopatu successisse. Ejus filius *Regu* nomen à Pastura, forsan spirituali, accepit. Certè dono prophetico illustris fuisse dicitur à Philone in antiqq. Bibl. utpote vaticinatus de Messia ex Abrahamo prodituro. In *Serug* & *Nabor* videtur Ecclesia degenerasse; quo de deliquio alibi erit locus dicendi. *Cogitemus* autem, *quam pulchrum & venerandum Collegium fuerit Doctorum senum, in quo præfuit Sem, qui mundum ante diluvium viderat* (verba sunt Chytræi. f. 302.) *& adolescens avum Lamech & proavum Mathusalem senes audiverat, qui ambo Adamum, primum parentem, senem viderant.* Altius repetemus Doctorum seriem. Noah vixit post diluvium 350. annos, mortuus anno Abrahami 58. Abraham igitur vidit Doctores Ecclesiæ Semum, Arphaxad, Selam, Heber, Phaleg, Rehu, Serug, omnes adhuc sua ætate viventes, viros longa rerum experientia præstantissimos.

[Margin: Sala. — Eber. — Peleg. — Regu. — Collegium Doctorum.]

§. 6. *Forma* consistit in potestate ordinis & jurisdictionis: *ordinis*, ut est (1) *prædicatio*, quæ fit vel *verbis*, ut erat concio Noachi, habita ad filios Chamū, cui legem; Semū & Japhetum, quibus Evangelium

[Margin: *Forma est potestas.* (1.) ordinis ut *verbo* prædicandi; cum voce.]

um prædicabat. Gen. IX. 25. seqq. *Noah in oculis filii stultus, delirus, & ridiculus senex, nunc prodit in majestate Prophetica, ac prædicat filiis revelationem divinam de futuris eventibus:* juxta Luther. enar. f. 154. Muhammedani jungunt Hud i. e. Eberum; Nam Surata XI. introducitur adversus grassantem idololatriam prædicans & disputans: *O popule, colite Deum, neque enim præter illum vobis Deus ullus est, nisi blasphemi esse velitis. O popule, non petam à vobis propterea mercedem; Est enim merces mea super eum, qui creavit me: An verò nec tum intelligetis? O popule, remissionem à Domino vestro petite, deinde ad eum vos convertite, ut cœlitus vobis mittat pluvias stillantes, addetque vobis ad robur vestrum, robur aliud: quare ne protervi retrocedatis:* Et quæ sequuntur. Eadem ferè concionis materia fuit, quam, per ipsos, Zalechus quidam, scriptura Salam vocat, habuit ad Themudis, nescio cujus, legatos, *quando dixit illis frater eorum Zalech; annon timebitis? Ego sum legatus vobis fidelis, proinde timete Deum, mihique obedite. Neque petam super eo à vobis mercedem: Non enim merces mea est, nisi à Domino creaturarum. An expellemini inde, ubi hactenus habitastis? in hortis, & fontibus, & seminibus, & palmis, quarum dactyli sunt maturi? Et exscindetis in montibus domos, cum studio, & attentione? Timete potius Deum, & obsecundate mihi, neque sequamini consilium corruptorum, qui in terra sunt perniciosi, neque prospere agent.* Hæc ille ex mente Alcorani apud Hotting. hist. Orient. l. 1. c. 3. Sunt mala mixta bonis, pleraque tamen mala, ex cerebro Pseudoprophetæ confecta, ut à codice Hebræorum & Christianorum biblico dissentiret. i. e. corruptiones istorum & horum notasse & correxisse videretur impostor. *Vel re ipsa*, puta exemplo & factis concionabantur. Noachus enim

eum re

Bis quinquagenis arcam qui texuit annis
Venturum excidium factis & voce ferebat.

Ut canit Tertull. lib. III. cont. Marc. Idem Noachus jussus est à Deo, prior ingredi arcam Gen. VII. 1. *tanquam paterfamilias, & Episcopus Ecclesiæ, exemplo suo aliis prælucens:* Gerh. comm. in l. c. Gen. Addunt Muhammedani *miracula*, quæ Zalechus perpetravit coram auditoribus, Camelum creando, ut fidem incredulis per-

an & miraculis;

persuaderet. Vide l. c. Hottingerum. Habemus Mosen & Prophetas, quos audiamus, in his autem de isto Zalechi miraculo nihil habetur. Pertinet igitur ad reliqua mendacia. (2.) *Sacramentorum administratio.* Sacramentorum loco erant sacrificia, quæ offerebat Noachus. Gen. VIII. 20. *Noah tanquam Sacerdos ex officio, ad exemplum sanctorum Patrum, obtulit sacrificium.* Scribit Luther. enar. f. 138. An ex mandato Dei obtulerit? & quæ porro sacramenta fuerint, ex sequentibus patebit.

& *Sacramentorum.*

§. 7. Altera potestas est *jurisdictionis*, ejusque vel internæ, vel externæ. *Interna*, ut est remissio vel retentio peccatorum: quam vocant potestatem clavium. Clavis autem est vel ligans, vel solvens. *Ligans* sua Chamo retinuit peccata. Gen. IX. 25. Non male Berosus censet Chamum illum *infamem*, & *impudicum*, & *incubum esse à Jano*, i.e. Noacho, parente suo *ejectum*, seu excommunicatum. Vide Lactant. lib. 2. de orig. err. Epiphanium in Ancorato. Glass. im Mosaisch. gesch. Kern. p. 498. Quantæ sit virtutis hæc ligatio, patet ex voce *maledictus*; nempe, quod sub maledictione sit, cuicunque ordinarius Ecclesiæ minister sua retinet peccata. Ei ex opposito respondet *clavis solvens*, cujus fundamentum est gratiosa Dei voluntas, qui non vult mortem peccatoris Gen. VIII. 21. propter Christum hominem sibi gratiosum, & benedictum, Certè Noachus ligato Chamo absolvit ex merito Messiæ Semum & Japhetum. Gen. IX. 26. 27. & promittit utrique gratiam Dei per Messiam reconciliati. *Externa* potestas iisdem competebat, utpote qui jure primogenituræ utroque & sacro & politico gladio valebant. *An primatus inter ipsos fuerit?* Affirmant Pontificii; nominatim Sander. de visib. mon. lib. 7. f. 200. Et probare vult ex Theophilo Antiocheno lib. 2. contra Autolyc. qui de Melchisedecho scribit: οὗτος ἱερεὺς ἐγένετο πρῶτος πάντων ἱερέων τοῦ θεοῦ ὑψίστου, i. e. *Hic sacerdos fuit primus omnium sacerdotum Dei altissimi.* Primus, i.e. supremus per ipsum. Nam (quæ ratio est) Abraham decimas ipsi obtulit, utpote inferior superiori. R. N. C. primus, E. auctoritate & potestate: Cur non nomine? primus enim in codice sacro vocatur sacerdos. Ratio allegata nihil conficit. Neque enim omnis decimas accipiens est summus sacerdos. Nam & Levitæ acceperunt, num & illi summi erant sacerdotes? Taceo,

(2.) jurisdictionis. 1. *Interna* ut Clavium ligantis. & solventis. 2. *Externa* an & *primatus*?

E quod

quod Melchisedech non fuerit Sem, ut falso supponit Sanderus. vide Rivet. exerc. 77. & 80. In Gen. Boulduccus præsidium quærit in verbis Gen. IX. 26. ubi laudatur Dominus Deus Semi, ut probet Semum non habuisse alium Dominum, nisi Deum: juxta illud: *suprema sedes à nemine judicatur*, nisi Deo. lib. 2. de Eccles. ante leg. c. 5. Perbellum argumentum! in forma sic sonat: Nullus habens Dominum Deum, homini ulli est subjectus: Sem habuit Dominum Deum: E. Sem nulli hominum fuit subjectus. Nemo igitur Patrum agnovit hominem se superiorem. Nam dicitur Dominus Deus Patrum Exod. XV. 16. Nec ullus servorum Israeliticorum. Nam totius populi dicitur Dominus Deus. v. ult. in quo etiam erant servi & servæ. Transeo innumera loca alia. Ex dictis igitur primatus nequit probari. Non negamus quidem suprema familiarum capita fuisse majori in dignitate constituta, quam inferiores ætate? At N. C. fuerunt igitur Pontifices ἀνυπεύθυνοι, quod probandum est, nisi velint Pontificii à controversiæ statu aberrare. *An & excommunicatio Laica fuerit usitata*? Affirmat idem Boulduc. l. 2. c. 3. Et probare vult ex Gen. IX. 25. ubi Cham & posteri dicuntur servi servorum, quod impletum est in Gibeonitis, qui servi sunt facti Pontificum, Sacerdotum, & Levitarum. Resp. Supponit Boulduccus, Chamum fuisse Sacerdotem, ex quo dignitas translata sit in Semum; At pugnat hæc hypothesis cum alia ejusdem, qua dicit, Japhetum fuisse Primogenitum lib. 2. ante leg. c. 2. Pertinebat igitur ad ipsum vi nativitatis dignitas sacerdotalis; Ut non opus haberet deposito Chamo demũ accipere. Dicas & hoc, Semum jam fuisse primogenitum, quod ipsum plures alii Papistarũ asserunt: Habuit igitur Sem jam ante dignitatem istam, ut non opus haberet ex Chamo accipere; imo Cham non habuit, nisi duos simul Pontifices summos statueris. Exemplum Esavi & Rubenis nihil facit ad rem. Nam illi fuerunt sacerdotes summi, jure primogenituræ, quod Pontificii Chamo denegant. Gibeonitæ quidem erant servi ordinis sacri, sed non excommunicatione laica, verum politica subjectione, ut erant reliqui Cananitæ. vide Genebr. lib. 1. Chronol. an. 1657. Torniel. an. m. 1666. §. 5. & 6. Sed revertimur in viam, nempe officia sacerdotum cum per se, tum per accidens talia, quæ in compendio exhibentur à Luthero f. 151. enar-

dum

& excommunicatio laica?

dum Noachi functiones recenset : *Noah primum Episcopi munere functus est , & quia variis tentationibus vexatus fuit , præcipua ejus in eo cura fuit , ut diabolo se opponeret , & tentatos consolaretur , errantes in viam reduceret , dubitantes confirmaret , desperantes erigeret , impœnitentes excluderet ex sua Ecclesia , pœnitentes paterno gaudio reciperet. Hæc enim ferè sunt , quæ per verbi ministerium ab Episcopo geri debent. Deinde etiam habuit suas politicas occupationes , custodiendis rebus publicis , figendis legibus ; sine quibus libido hominum non potest constringi. Ad hæc accessit propria domus gubernatio, seu œconomica cura.* Hactenus ille. *Objicis* : Si Noah tantus fuit Ecclesiæ minister, cur igitur non oravit pro suis auditoribus , cum imminens audiret diluvium ? Decet enim pastorem pro grege orare , si & Abraham pro Sodomitis & Gomorrhæis , sibi non adeo addictis, Deum obsecravit ? Resp. Rupert. lib. 2. de vict. verb. c. 29. *quia perditio multitudinis nihil impediebat victoriam verbi sive propositi Dei, dummodo superest vel unus ad suscitandum semen mulieris , inimicitias habiturum contra semen serpentis.* At dubium non est , Noachum orasse pro suis coævis hominibus intra illos 120. annos , quibus pœnitentiam illis prædicavit , Homines vero ipsi per invictam suam contumaciam obicem gratiæ obsecundanti ponebant.

§. 8. *Ordines* Ecclesiasticos fuisse ex Pontificiis contendit Boulduccus lib. 2. de Eccles. ante leg. c. 4. Nominat enim *Amathæos* , sic dictos à fervore pietatis ; *Amorrhæos* Eloquentes ; *Pherezæos* absq; muro habitantes ; *Hevæos* vivificantes & dispersos instar Levitarum , *Anakim* Torquatos. Quia vero opponi poterat , fuisse illos Cananæos , adeoque-impios , idem ante omnia vult ostendere , *primos terræ Chanaan incolas, ab ipso oriundos, non impios extitisse : Sed potius sub mundi reparatoris sanctissimique Patriarchæ Noë disciplina diu in Armenia educatos , virtutis ac pietatis laude in illa regione claruisse.* Probat exemplo Nimrodi , qui fuit de stirpe Chami , & tamen robustus coram Deo venator , i. e. *Ecclesiasticus prædicator , virque religiosus , qui bonis concionibus & exemplis venabatur homines & Deo acquirebat* : uti exponit lib. 1. c. 9. p. 57. Præmiserat de Emim , Zamzumim , Rephaim, Zuzim, quos vertit : *Reverendos , Sapientissimos , Restauratores , & illustres.* Ex Deut. II. 10. 12. 20. Gen. XIV. 5. & gigantes virtute, non statura corporis. Addit quendam ex Methodio Jonithum , Arphaxadem putat , qui *Ordines an fuerint? Sententia Boulducci*

Refutatur. quis Jonithus.

Nimrodi velut præceptor extitit. Confusius isthæc tractat, & sine ullis fundamentis. Nam ut à posteriori incipiamus, Methodius suspectæ est fidei, imprimis in historia Jonithi, dum prædixisse hunc ait: *in quibus influentiis astrorum incipiendum ei esset regnare super terram.* Sapiunt ista Astrologicam superstitionem, qualem in Jonitho, si quidem tantus vir fuisset, nemo sanus præsumeret. Emim, Zamzumim, Rephaim, Zuzim fuisse integros populos Cananæos, ex scriptura constat: sed non constat à virtute sic fuisse dictos religiosa; imo à robore corporis & ferocia animi describuntur. Num. XIII.29. sic ut terribiles essent exploratoribus & Israëlitis, utpote qui cicadæ essent, monstris illis comparati. v.34. vide Jesuitam Bissel. ruina 4. dec. 1.

Emim.

Emim ab אים dicti sunt homines formidabiles & terrifici, quod in religiosos non quadrat, nisi forte in strigosos monachos quosdam, & sicarios aliis terribiles,

Zamsummim.

זמזומים Zamsumim nomen habent à clandestinis molitionibus, quo sensu Proverb. II.2. accipitur איש מזמות vir scelerum.

Rephaim.

רפאים à רפה deficere derivant, *propterea, quod quicunque eos aspiceret,* ידיו מתרפות *manus ejus remissæ fierent metu*, sc. explicante R. Becchai ad Deut. 2.

Zuzim.

זוזים Zuzim à radice זז movere se, derivant, unde est זיז fera, *gallus sylvestris, cujus tali pedum in terra stant, & caput in cœlum usque pertingit, ut fabula* Judæorum ludit; Erant ergo religiosi isti feræ sylvestres, quam gloriam Monachis non invidemus. Nimrodum fuisse præconem verbi divini tam quadrat, quam si lupum ovibus, & ciconiam ranis, & vulpem gallinis prædicare dixeris.

Anakim.

Anakim à torque derivant; sed formidabili, quem prostratis à sese injiciebant, juxta R. Salomonem.

Hevæi.

Chivæi quidem derivantur à חיה vixit, à qua radice etiam derivatur חיה fera, bestia, & חוות villæ. Possunt igitur Hevæi esse & homines Sylvestres, vel degentes in villis.

Amorrhæi.

Amorrhæi, nomen habent ab אמר dixit, locutus est: an vero ipsi eloquentes fuerint, vel homines ipsos allocuti sint, ut terriculamenta, in medio relinquimus.

Pherezæi.

Pherezæi à פרץ deducuntur, unde est vox פריץ, quæ notat violentum latronem, qui leges ac jura præfracta audacia perrumpit. Egregios vero religiosos!

Chamathæi.

Chamathæi rectius à חמה derivantur. Unde est חומה murus, quod muris sese cinxerint. Si enim à חמם calefieri deducerentur, dicendi essent Chammathi. Sed esto, ex ea radice sunt הנחמים Esa. 57.5. incalescentes ad idola sua.

sua. Hoc vero nominis religiosis Papæis apprimè competit. Quod supponit Capucinus, Cananæos fuisse religiosos & sanctos, habentes tribunal summum, unde non dabatur provocatio, ex Jud. XVIII. 7. non probatur. Esto enim, tum, cum Josua immineret, tales fuisse, unde constat, *priscos primosque post diluvium terræ Canaan incolas non ita sceleratos perditosque fuisse*? pluribus seculis ætas Josuæ ab illis primis Cananæis distabat. Sed esto, nec priscos fuisse tam sceleratos, unde constat, monachos fuisse, qui cœnobia habuere, & tribunalia improvocabilia? Habitarunt quidem לבטח in fiducia; At hæc non est descriptio *primæ sedis, à qua non licet provocare*, ut Pontificius somniat. Secus Lev. XXV. 16 singuli Israelitæ fuissent judices supremi, quippe quibus promittitur incolatus לבטח cum fiducia, si paruerint mandatis divinis. שקט notat quiescentem, non *quietantem*, non *stabilientem*, ut idem pervertit. Et, si non erat, qui possideret *claustrum*, i.e. *cœnobium*; E. nec erant monachi cœnobitæ. Piget reliquas nugas consectari; totus enim liber ejusmodi quisquiliis monasticis est infectus.

§. 9. *Matrimonium* ab Ecclesiæ hujus ministris non abhorrebat. Nam uxorati fuerunt Noah, & filii, & horum primogeniti, qui ex mente Pontificiorum tamen erant summi Pontifices. Vide Eccles. Antediluv. p. 32. §. 19. *Matrimonium.*

§. 10. *Fata* ministrorum diversa erant (1.) *Fausta*: Nam Deus suum *Noachum* cum familia servavit, cum pessum iret mundus, ministerii contemptor. Gen. VI. 14. VII. 1. VIII. 1. seqq. *Sem* & Japhet benedictionem à patre reportarunt. Gen. IX. 26. 27. (2.) *Infausta*. Nam suis quoque periculis & molestiis gravissimis non carebant. Jubebatur Noachus arcam fabricare: *Cui igitur incredibile videtur, justum illum multum offendisse, fabricando arcam, & futurum prænunciando diluvium per tot annos apud superbos, & gigantes illos, in illo recenti seculo, cervicoso nimis atque luxurioso?* quærit Rupert. lib. 7. de vict. c. 31. Et Mich. Glyc. annal. part. 2. p. 174. *Homines*, inquit, *stolidi Noam voluntati divinæ obsequentem irridebant.* confer Bissel. ruina 4. §. 6. dec. 1. p. 313. Post diluvium eadem fuerant ministerii fata, quod videas ex irrisione Chami, quâ parentem, Ecclesiæ ministrum, vexavit. Neque enim vitio ebrietatis insultabat homo profanus, sed officio parentis, qui ipsum pro- *Fata* 1. fausta. 2. Infausta.

cul dubio sæpius reprehenderat,& monuerat,ut in Christum,ex suis lumbis proditurum, crederet, hoc indignè ferebat Cham,& capta-ta occasione exprobrabat Parenti. *Omnis namque improbus, quoniam ipse devius disciplinæ est, aliorum lapsus non solum pro sui erroris solatio accipit, quod consortes invenerit culpæ, verum etiam improbo lætatur affectu, tanquam sua ipse delicta correxerit.* Bene notat Ambros. d. Noë & arca. c. 30. confer. Luther. enar. in Gen. f. 152. Chytræ, in Gen. f. 289. §. 4. Lyser. in Noach. p. 34. Hotting. hist. Orient. lib. 1. c. 3. p. 29. 32. qui ex Muhammedanis refert de persecutione Hudi & Zalechi.

Pœna. §. 11. *Pœna* contemptum istum, & persecutionem horrenda sequebatur. Nam diluvio isti ἐμπαῖκται puniti sunt; Cham maledictione est percussus; *Manifestum igitur signum imminentis maledictionis & calamitatis est inobedientia erga parentes, sicut etiam contemptus Ministerii & Magistratus. Cum enim inciperent Patriarchas in primo mundo contemnere, sequebatur diluvium*, scribit Luther. enar. f. 154.



Articulus V.

DE VERBO ET SACRAMENTIS.

Argumentum.

Instrumenta habuit Ecclesia Noachica. Verbum Dei: quod dividitur in legem & Evangelium. Ista in moralem, caremonialem & judicialem. Hujus proponuntur nomina, fundamentum, materia, differentia multiplex ad legem. Sacramenta fuerunt arca, iris, sacrificia; Explicantur caussa, efficiens, materia, forma, finis, effectus, divisio in sacramenta initiationis, & confirmationis.

§. 1.

Instrumentum. HActenus de Ministris Ecclesiæ Noachicæ dictum est. Sequitur de instrumentis, quibus isti utuntur, verbo & sacramentis, de quibus mentionem fecimus art. IV. §. 6. nunc aliquanto accuratius & prolixius expediendis.

§. 2.

§. 2. Verbum Dei est medium, quo Deus utitur, cum voluntatem suam hominibus revelat, revelando illuminat, convertit, justificat, renovat, & denique salvat. Probatur ex toties repetita voce: *Et dixit Deus.* Hac enim Moses utitur, cum describit præparationem arcæ, ingressum, & egressum. Gen. VI. 14. VII. 1. VIII. 15. Qua de materia in singulis articulis inferius loquemur. 1. Verbum Dei.

§. 3. *Duplex* est verbum, Legis & Evangelii, quorum illud agenda vel omittenda: hoc credenda & non credenda complectitur. *Legis* auctor est Deus. Hic enim revelavit & mandavit, ne quis alterius sanguinem funderet, aut si fuderit, pœnæ subjiceretur. Gen. IX. §. 6. Deus est, qui hominem ad sui imaginem formavit, cujus reliquiæ adhuc hodiè supersunt, nempe notitiæ naturales de agendis vel omittendis, ut l.c. innuitur. *Dividitur* enim lex in moralem, cæremonialem, & judicialem. *Moralis* in sese complectitur *naturalem*, quæ homini, etiam sine homine docente, implantata est in ipsa vel creatione, vel generatione. Colligitur ex Gen. IX. 6. ubi ratio interdicti homicidii hæc additur, quia ad imaginem suam Deus fecit hominem. Sermo est de homine per traducem genito, nihilominus ille ipse dicitur à Deo creatus, tanquam caussa prima concurrente cum parentibus, tanquam caussis secundis; Et ille sic genitus homo dicitur adhuc gestare imaginem Dei; Non quidem in spiritualibus: quoad hæc enim omne figmentum hominis malum est Gen. VIII. 21. Sed in quibusdam moralibus & naturalibus, ut in hæc impingat, qui hominem interfecerit. Rom. I. 29. Subscribunt Patres. Tert. advers. Judæ. c. 2. *Denique*, inquiens, *ante legem Mosi scriptam in tabulis lapideis, legem fuisse contendo non scriptam, qua naturaliter intelligebatur, & à Patribus custodiebatur. Nam unde Noë justus inventus, si non illum naturalis legis justitia præcedebat?* Sententia Patris bona est, etsi exemplum Noachi non ex omni parte quadret. Neque enim Noah justus fuit justitia tam inhærente, quam imputata. In eandem ferè sententiam scribit Euseb. de præp. Evang. lib. VII. c. 3. Laudat enim Hebræos, *quod à Creaturis naturali ratione, & lege innata non scripta ad cogitationem veri Dei transierint, & voluptate corporis contemta, ad rectam viam pervenisse scribantur.* Loquitur de Hebræis, quales e-

Dividitur in legem cujus *Auctor* est Deus.

Distinctio in Moralem seu Naturalem.

C rant

ant Filii quoque Heber. Gen. X. 21. Celebrantur hoc nomine ſeptem, ut vocant, Noachica præcepta: *Hujus generis ſeptem præcepta illa fuere, quæ Thalmudici data eſſe filiis Noachi ajunt. Ea juſtitiæ regulas quasdam continebant, quibus carere hominum vita nequibat. Quare vis eorum tam latè ad omnes pertinebat, ut, qui neſcirent ea, hos interficere in bello, atque ex hominum communione tollere Iſraelitæ juſſi ſint. Neque id ſine cauſſa fuit. Omnibus enim belluis nocentiores videbantur, qui jus nullum accepiſſent.* Verba ſunt Cunæi de rep. Hebr. lib. 1. c. 1. confer Brent. comm. in Deut. XX. f. 1065. Genebr. Chron. A. M. 1657. ex R. Salom. c. 2. Jerem. Seder. Olam. c. 5. Schindl. Lex Pentagl. q. 1630. Schik. Miſp. c. 5. p. 129. Glaſ. Moſaiſch Lehr-Kern. §. VII. p. 407. *Exemplum* cape ex facto Semi & Japheti. Quod Chryſoſtomus hom. XXIX. in Gen. 9. his verbis illuſtrat: *Vide quomodo per legem, naturæ inditam, prius impleverunt, quæ poſt ad erudiendum humanum genus, ea, quæ in lege ſcripta fuerunt: & id, quod lex dicebat: Honora Patrem tuum & matrem tuam, ut bene ſit tibi: Et, qui maledicit Patri & Matri, morte moriatur, hoc jam operibus impleverunt. Vidiſti, quomodo natura prius ſufficientem habuit doctrinam.* Confirmat hæc Theodoretus quæſt. 56. in Gen. Quærit enim: Dum nondum ulla eſſet lex lata, quæ juberet honorare patrem & matrem, quomodo Cham, ut reus parricidii, damnetur? Reſp. τῆ φύσει τὺς ἀναγκαίυς τέθεικε νόμυς ὁ ποιητὴς, i. e. *leges naturæ neceſſarias ſancivit Creator.* Et mox: *Cham parricidii reus habitus eſt, tanquam transgreſſus legem naturæ. Nam quod natura ipſa doceret venerari & colere parentes oportere, teſtificantur fratres ipſius Cham.* Hæc ille.

Ceremonialem.

§. 4. *Ceremonialis* ex variis locis apparet. Gen. VII. 2. habetur diſtinctio inter animalia munda & immunda: *Non quod Deo tales eſſe videantur, ſed ſic à nobis, & ab his, qui illo ſeculo vivebant, judicabantur.* juxta Procop. in Gen. VII. Principium, unde Noah ſcivit diſcrimen, controverſum eſt: *Num* enim *proficiſcebatur hoc à naturali quadam cognitione, quam habebat? an à ſapientia divinitus ei conceſſa?* quærit Glycas annal. part. 2. Chryſoſtomus nihil certi definit: Nobis poſterius placet. Sicut enim Deus peculiari revelatione ſacrificia ſibi mactari juſſit, ita & animalia videtur definiviſſe quæ placerent, vel diſplicerent. Utinam Tertulliani de mun-

mundis & imundis animalibus liber extaret, laudatus ab Hieron. epist. 25. forsan litem ille peroraret. Interea vide notas Cajetani & Dn. D. Calovii ad Gen. VII. 2. Alia Controversia est: cujus respectu fuerint munda vel immunda? Sacrificii, an & ciborum? Sacrificii putat Cajetanus, & hujus solius; non ciborum. Quo minus enim respectu alimenti intelligatur, obstare putat universalem licentiam comedendi quasvis carnes Gen. IX. 3. *Si de munditia relativè ad humanum cibum intelligitur, obstat sententia divina inferius c. 9. scripta, qua indistinctè omnia animalia in cibum humanum tradita narrantur.* At *indistinctè omnia animalia* non possumus edere; sunt enim inter ea, quæ sanitati hominis, & vitæ nocent, quæ non licet edere, quia non licet seipsum lædere, vel occidere. *Unde relinquitur, quod* non *sit sermo de munditia & immunditia relativè ad divinum sacrificium tantum*; *Insinuatur* quidem *per hanc differentiam, in litera scriptam, quod traditione patrum didicerant, non omnia animalia esse sacrificanda Deo, sed quædam animalium genera duntaxat, & illa appellabantur munda. Sed sic* non solum *facta est differentia inter munda & immunda*, sed etiam respectu ciborum, qualis differentia deinde in cultu Levitico distinctius proposita & repetita est à Mose superiore cultuum μαψώδω. Sequimur Procopium, Abulensem, & alios, idem nobiscum sentientes. Typica & moralis ratio sub istis legibus erat. Gen. XIII. 20. Noachus exstructo altari offert ex bestiis & volucribus mundis Deo hecatombam. Ritus hic erat cæremonialis, sed qui respiciebat agnum Dei, pro peccatis mundi mactandum, quod epistola ad Hebræos expedit; & nos infra ostendemus. Gen. IX. 4. prohibetur esus carnis, sanguine adhuc rubentis, *ob reverentiam sanguinis Filii DEI, aliquando pro peccatis mundi effundendi.* juxta Lyser. Noach. p. 270. Dixerim aliam quoque subesse rationem, nempe, ne homines cruda sanguinis sumptione assuescerent sanguinolentiæ, aut suam ipsi sanitatem læderent, quod fit cruda carne & sanguine vescendo. Lex est non perpetua, neque à parte ante, neque à parte post. Non ante; *Nec enim incircumcisum Deus, sed & non Sabbatizantem de diluvio liberavit.* Tert. contr. Jud. c. 2. Neque post: Nam lex de sanguinis fuga in N. T. non amplius obligat. Objectiones solvit Gerh. comm. in Gen. p. 241.

& Iudicialem.

§. 5. Judicialem colligimus ex Gen. IX. 5. 6. Nam vult Deus ulcisci sanguinem innocenter effusum, sive ab hominibus, sive à bestiis. Paraphrasis Onkelos ita vertit verba: *Qui effuderit sanguinem hominis cum testibus, sive per testes, juxta sententiam judicum sanguis ejus fundetur:* Jonathan ita: *Qui effuderit sanguinem hominis per testes, condemnabunt eum judices ad necem. Et qui effuderit absque testibus, Dominus mundi olim vindictam ab eo sumet in die magni judicii.* Per hos igitur, lata est lex de puniendis homicidis. Cum autem homicidarum alii præsentibus, alii remotis arbitris peccent, vindicta quoque distinguenda erat, alia ordinaria & mediata; alia extraordinaria & immediata: Ista irrogatur iis, qui per testes convinci possunt; hæc vero Deo relinquitur, qui etiam occulta intuetur. *Hic igitur fons est, ex quo manat totum jus civile, & jus gentium. Nam si Deus concedit homini potestatem super vitam & mortem, profecto etiam concedit potestatem super id, quod minus est, ut sunt fortunæ, familia, uxor, liberi, servi, agri; Hæc omnia vult certorum hominum potestati esse obnoxia Deus, ut reos puniant.* Verba sunt B. Luth. enar. f. 144. Imo si Deus vel bestiam homicidam puniri vult, quanto magis hominem, qui ratione utitur, & cavere posset. Vapulant igitur Sociniani, Anabaptistæ, Weigeliani, alii, asserentes, non agi de mandato sontes puniendi, sed de eventu tantum pœnæ divinitus infligendæ. Contra vide Gerh. Loc. d. Magist. §. 390. & comm. in l. c. Genes.

In Evangelium, cujus vox explicatur.

§. 6. Evangelii vox elici potest ex Gen. IX. 27. Habetur ibi vocabulum יַפְתְּ elegantissima paronomasia ad nomen יֶפֶת Japhet. Radix est פָּתָה in Kal seductus, pellectus, persuasus fuit: in Piel: pellexit; in Hiphil dilatavit: Inde derivant quidam πείθειν persuadere. Est igitur Evangelium persuasio & illicium Japheti i. e. gentilium longe lateque ad Ecclesiam, veluti tabernacula Semi evocandorum. Utitur ista phrasi Paulus Gal. I. 10. III. 1. *Pertinet* igitur *hoc votum Noah ad invulgationem Evangelii per totum orbem terrarum. Sem est ceu stirps. Nam ex ejus posteritate seu linea natus est Christus. Ecclesia enim Judæorum est, qui habuerunt Patriarchas, Prophetas, Reges. Et tamen Deus ostendit hic ipsi Noah, quod etiam miseræ gentes habitaturæ sint in tabernaculis Sem. i. e. venturi ad societatem bonorum, quæ Filius Dei attulit in hunc mundum, remissionem*

nem scilicet peccatorum, Spiritum Sanctum, & vitam æternam. Vaticinatur enim clarè, quod etiam Japhet, secundum nomen suum, audiat blandum sermonem Evangelii, ut, quanquam non habeat nomen, quod Sem, qui positus est, ut sit stirps, ex quâ nasciturus sit Christus, tamen habeat suadelam. h. e. Evangelium. Hactenus Lutherus enar. f. 157. vide Cyrill. lib. III. in Genes. Gen. VI. 18. vocatur *fœdus.* Locum varie explicant, alii de defensione adversus impios persecutores, alii de salute in aquis præstanda, alii de iride; *sed mea sententia loquitur de pacto spirituali, seu, de promissione seminis, contrituri caput serpentis:* Dicimus cum Luth. f. 124. Fundamentum, & præcipua hujus promissionis materia, est Christus, fons omnis gratiæ, & hinc manantium beneficiorũ. Colligitur ex jucundissimo colloquio inter Deum & suum Cor. i. e. verbum ὑποςατικὸν, Noacho veluti auscultante Gen. VIII. 21. Promittit enim Deus gratiam באדם *propter hominem*, puta Messiam, semen mulieris. *Est itaque hæc illustris repetitio primæ promissionis, à Deo facta, ubi cœlestis Pater cum corde suo, h. e. Filio coæterno deliberat, & hoc decretum concipit, quod secundum propositum voluntatis suæ per Spiritum Sanctum dictat, qui est testis una cum reliquo choro Prophetarum & Apostolorum, quod Deus decreverit, quod in posterum non amplius velit mundum maledictione & diluvio perdere, sed credentibus peccata remittere propter unum hominem, qui sit futurus mundi Salvator Messias.* Verba sunt Lyseri Noach. p. 233. Ex his apparet, Evangelium esse mysterium rationi nostræ incognitum, utpote quod in, & cum corde suo loquitur; Comprehendit autem voluntatem Dei gratiosam, respicientem homines in peccatis suis reos æternæ maledictionis; condonantem autem ista, & remittentem pœnas, non propter aliquod opus, aut meritum nostrum, sed propter unum & solum mediatorem inter Deum & homines, hominem Jesum Christum. *Confirmatur* ex Gen. IX. 26. Nam benedictus Dominus Deus Semi laudatur, tanquam fons omnis benedictionis spiritualis, in nos maledictos redundantis. *Quemadmodum enim propter transgressionem primi Adami maledictioni est subjecta terra, & omnia opera ejus: Ita nunc Spiritus S. pronunciat ob unicum hominem Christum Jesum benedictionis participem fieri posse totam terram, totum mundum, atque omnia, quæcunque carne & anima rationali sunt prædita.* Idem Lyser. p. 234.

Fundamentum & materia.

Confirmatur.

Discrimen inter legem & Evangelium

§. 7. *Discrimen* legis & Evangelii ex dictis facili negotio colligitur. Differunt enim (1.) *principio cognitionis*. Lex est aliquo modo naturâ nota homini, ad imaginem Dei creato; Evangelium verò est mysterium *in corde* Dei absconditum. Gen. VIII. 21. IX. 6. Joh. I. 18. Rom. XVI. 25. (2.) *Diverso patefactionis ordine*. Nam lex præcedit, Evangelium subsequitur. Gen. VI. 7. Deus comminatur exitium omni carni; quod legis erat officium; tanquam ministerii mortis & condemnationis. 2. Cor. III. 6. 7. 9. Subsequitur *gratia*, quam Noah, comminatione perterritus, quæsivit, & *invenit*. v. 8. Hæc vero spectat ad Evangelium. Joh. I. 18. Confirmatur Gen. VI. 17. Nam repetitur comminatio imminentis diluvii, subjungitur deinde *fœdus* gratiosum Noacho promissum, & repetitum. v. 18. Illustratur praxi Gen. IX. 25. Noah enim prius maledicit Chamo, & Chanaani, i. e. legem exercet, quam benedicat Semo & Japheto, quod est Evangelii beneficium. Rom. VII. 10. (3.) *Caussa meritoria*. Peccata enim sunt caussa meritoria legis, quâ condemnantis; ut patet ex delicto Chami, quo ipse maledictionem in sese derivavit. Gen. IX. 24. 25. Noah, postquam rescivisset flagitium filii, tum demum, & ideo fulmine ipsum maledictionis percussit. Christus autem est caussa meritoria promissionum Evangelicarum. Nam באדם *propter*, *& per hominem* Messiam Deus gratiam promittit. Gen. VIII. 21. (4.) *Materia circa quam*. Lex versatur circa agenda. e. g. irroganda homicidis supplicia. Gen. IX. 6. omittenda. e.g. esum carnis, in sanguine suo adhuc calescentis. v. 4. Evangelium vero circa credenda. e.g. gratiam Dei, meritum Christi, Salutem hominis. Gen. VIII. 21. IX. 26. 27. Elegans *typus* est in corvo, *&* columba. Ille enim non attulit, diluvium esse finitum, sed adhuc durare; hæc vero allato oleæ folio docuit aquas subsedisse, & placatam esse iram divinam. vide Chytræum & Pelargum in comm. ad Gen. VIII. (5.) *Forma* Lex enim præcipit & jubet. e.g. fabricam arcæ, ingressum, egressum, Gen. VI. 14. VII. 1. VIII. 15. prohibet Gen. IX. 4. comminatur. v. 6. maledicit. 25. Evangelium vero promittit gratiam Divinæ voluntatis, in Christi merito acquiescentis. Gen. VIII. 21. Et fœdere confirmat. Gen. VI. 18. IX. 11. *Quid enim sibi vult*, quærit August. quæst. 15. in Gen. *quod Dominus dicit : Non adjiciam adhuc maledicere terram pro-*

pter opera hominum, quia apposita est mens hominis ad malitiam ab juventute? Non adjiciam ergo adhuc percutere omnem carnem vivam, quemadmodum feci: & deinde jungit, quæ secundum largitatem bonitatis suæ donat hominibus indignis. Utrum hoc Testamenti novi indulgentia figurata sit, & præterita ultio ad vetus pertineat Testamentum? Hoc est: illud ad legis severitatem, hoc ad gratiæ bonitatem? Ita est, Beate Pater. Deus discrimen legis & Evangelii haud obscurè in paucissimis istis verbis insinuavit. (6.) *Adjuncta promissionum qualitate & conditione.* Legis promissiones sunt conditionatæ ex parte nostri. Evangelii autem absolutæ ab omni, sive opere, sive merito nostro. Deus se parcere velle promittit, & hoc propter Christum promittit. Gen. IIX.21. (7.) *Effectis.* Lex enim terret maledictione. Gen. IX.25. Evangelium vero consolatur, cor dilatando: *Quod in cordis latitudinem provecti fuerimus, legis angustiam superantes, tertius Noë filius Japhet protinus explanabit, quem latitudinem convertere possumus.* verba sunt Cyrilli in Gen. lib. 3. subscribit Luther. enar. f.157. (8.) *Objectis.* Lex enim pertinet ad impios & injustos, qualis erat Cham Gen. IX. 25. Evangelium vero ad contritos gratiam Dei quærentes. Gen. VI.7.8.17.18.

§. 8. *Sacramenta* verbo adjunguntur, veluti signa, & sigilla voluntatis & gratiæ divinæ. Est enim Sacramentum in genere signum & sigillum fidei nostræ excitandæ, vel confirmandæ. Chrysostomus homil. 27. in Genes. vocat; *fulcra nostræ infirmitatis.* Perer. in Gen. IX, lib. XIV. §. 73. *Solet*, inquit, *Deus promissa sua variis signis externis confirmare, quo scilicet eorum fidem, & spem altius in hominum animis defigat. Et interdum quidem utitur signis naturalibus, uti est signum iridis; aliquando signis supernaturalibus,* ut est ignis cœlitus delabens in sacrificia; Addere possumus tertium genus, *artificialium*, ut erat Arca. *Arca* illustre fuit Sacramentum. Unde August. lib. XV. C. D. c. 26. bene notat: *Quæ in ejusdem arcæ constructione dicuntur, Ecclesiasticarum signa sunt rerum.* Præcesserat divina promissio, quod parcere vellet Deus Noacho. Gen. VI 8. eaque percusso fœdere fuit confirmata. v. 18. Sed requirebatur signum externum, quo, veluti fulcro, fidem suam, in diluvio natans, sustentaret: Hoc vero erat arca. *Cum immineret diluvium, Deus Noacho addidit arcam, quæ simul fuit & signum, quod Deus velit,*

II. *Sacramenta* horum 1. *Species* sunt

Arca:

velit, & medium per quod possit Noachum in diluvio conservare: Nervose scribit Lyser. p.302. ostensurus sacramenta esse signa, non tantum σημαντικὰ, sed etiam ἐργαντικὰ & μεταδοτικά. *Typus* eadem illustris fuit baptismi: Ut Petrus disertis verbis 1. Ep. III. 20, 21. asserit, & Justinus Martyr Dial. cum Tryph. f. 288. suavissime explicat. Comparat ille Noachum Christo. *Principium alterius generis* τοῦ ἀναγεννηθέντος ὑπ' αὐτοῦ, δι' ὕδατος, καὶ πίστεως, καὶ ξύλου τοῦ τὸ μυστήριον τοῦ σταυροῦ ἔχοντος. i. e. *regenerati ab ipso per aquam, & fidem, & lignum, quod mysterium crucis obtinet.* Conferatur Hugo victor de arca

Ignis. morali. Alterum signum erat *ignis* cœlitus lapsus, quo Deus sacrificia accendebat, sibique placere declarabat. Innuitur Gen. VIII. 20. 21. Noah enim obtulerat sacrificium, cum Deus odorem sibi gratum esse ostenderet. Non poterat ipsum Dei cor immediatè intueri Noachus, & videre, quid ipsi placeret, vel displiceret: Necesse igitur est extitisse signum aliquod externum, ex quo sacerdos de divina erga se suumque opus voluntate judicare potuerit: Id verò communiter faciunt ignem cœlitus lapsum: *Scriptura hac phrasi vult indicare*, 1. *Deum non procul abfuisse ab illo sacrificio.* 2. *Illum nutu etiam suo & visibili aliquo signo approbasse, nempe igni cœlitus misso, ut in sacrificiis Abelis, Abrahami, & Salomonis factum legimus: vel exeunte flamma ex ipso altari, sicut factum est in sacrificio Manoæ, oblationem consumpsit.* Verba sunt Lyser. p. 226. Illustrat ex πυρολατρείᾳ Chaldæorum, qui hinc videntur ansam sumpsisse colendi i-

Iris. gnis. De quo infra. Tertium sacramentum erat *iris.* Non disputabimus nunc, irisne fuerit ante diluvium, vel non? si verbis scripturæ pressius inhæremus, & Lutheri aliorumque Doctorum orthodoxorum sententiam sequimur, non videtur ante diluvium *Thaumantias* illa, & *benignissimum cœli prodigium* extitisse. Nobis sufficit, quod Deus iridem fecerit אות *signum* fœderis inter se & Noachum, imò omnes homines & bestias, percussi: *Hic locus etiam nos docet, quomodo Deus solet cum promissione semper conjungere signum.* Ait Luther. f. 146. Et Lyser. p. 301: *Semper hic mos Dei fuit, quod promissiones suas triplici modo manifestavit & confirmavit.* 1. *Simplici verbo.* 2. *Juramento, pacto, & obligatione.* 3. *Externo aliquo signo. Idem etiam Deus in præsenti casu cum Noacho observat.* Observa iridem dici *signum fœderis*, non ipsum fœdus, Contra Calvinianos apud D.

Gerh.

Gerh. Loc. de Cœna. §. 95. David Psalm. 89. vers. 38. vocat עד בשחק *testem in nube* : Den GOtt zum Zeugen setzt deß ewigen Bundes mit Noah: quæ est Glossa B. Lutheri. Patres jucundissimis descriptionibus iridem illustrant. Cyprianus vocat : *Cœlestis benignitatis typum.* Ambrosius: *Inviolabilis Virtutis Dei & multiformis gratiæ specimen.* Hieronymus *Paternæ clementiæ simulacrum.* Chrysostomus : *Dei hominibus reconciliati Chirographum.* Basilius: *pacis sequestram.* Gregorius Naz. *Benevolentissimi Numinis testimonium.* Augustinus : *Divinæ amicitiæ tesseram.* Damascenus: *Cœlestium induciarum pignus.* Beda : *divinæ propitiationis symbolum.* Gentiles vocant Thaumantida Θαύμαντος, i.e. Dei *admirabilis* filiam, ut gentiles ὡ καλῶς γενεαλογεῖν *non male genealogiam adornare* disputat Cæsar. dial. 2. contra gentiles. Augustinus, vel quisquis auctor, comm. in Apoc. 2. pulchre verbum ἶριν iridem derivat ab ἔρειν dicere & nunciare, puta pacem & reconciliationem, quæ incarnatione Filii Dei facta est.

§. 9. Ex dictis liquet Sacramentorum (1.) *Caussa efficiens principalis* : Deus. Deus enim arcam fabricari voluit, ut esset signum & medium Noachi conservandi. Gen. VI. 14. seqq. Deus sacrificia fieri voluit sibi, & odoratus est odorem. Sunt equidem qui ex lege naturali derivant sacrificia; sed nostrâ sententiâ melior est sententia eorum, qui ex divina revelatione, mandato, & promissione deducunt; Neque enim ratio potest cogitare Deum delectari cæde bestiarum, & fœtore fumoque sacrificiorum: Abhorrere potius putaverit, adeo nulla est analogia inter Deum & sacrificia; Confirmatur ex consequente approbatione, quam odoris nomine Moses vocat. Neque enim placere potest Deo opus, nisi ex fide profectum Ebr. XI. 6. Rom. XIV. vers. ult. Placuit autem Deo sacrificium Noachi; Ex fide igitur fuit; quæ ipsa est non ex natura, sed ex verbo mandati & promissionis. Rom. X. vers. 14. Deus igitur auctor erat sacrificiorum offerendorum. Idem iridem quoque in nubibus posuit: *Hoc est signum fœderis, quod percussi inter me & vos.* Gen. IX. 12. Deus ipse dicit, & porro : *arcum in nubibus ego ipse posui.* vers. 13. (2.) *Materialis* est vel terrena, vel cœlestis. *Terrena*, ut erat arca lignea; ignis rutilans: aqua roscida; *Arcus est quasi visibile signum Dei virtutis invisibilis, inhærens aëris intensionem & remissionem quodam modo gubernans*, scribit Procop. Gaz. comm. in Gen. IX. Ambrosius allegoria literam obnubilat lib. de arca & Noë c. 27 arcum enim, non iridem intelligit, sed, *quo sagittæ jaciuntur*, *virtutem* nempe *Dei invisibilem* ; Verba sic sonant: *Est ergo virtus invisibilis Dei, specie istius arcus moderans omnia, ut neque confundi nimia solutione, neque disrumpi nimia contentione, patiatur.* Hæc ille, postquam rejecisset arcum iridis. Sed rectè judicat Jesuita Perer. t. 2. in Gen. IX. lib. XIV. §. 81. disp. 3. *Tanti Doctoris auctoritas facere non debet, ut nos hanc ejus sententiam minime probabilem, minimeque cum verbis scripturæ consentientem refellere vereamur.* Desinant igitur Pontificii nos premere posthac Ambrosii auctoritate. *Res cœlestis* erat Spiritus Sanctus in isto igne peculiari ratione præsens. Luther. in Gen. VIII. f. 138. existimat, ideo Deum dici odoratum esse, quod *tam prope adfuerit, ut odorem senserit.* Confer. Lyser.

2. *Caussa* Efficiens.

Materia.

Lyser. Noah. p. 226 Juxta Augustini regulam: *Accedat Verbum ad elementum, & fit Sacramentum*, loco rei cœlestis substitui posset verbum mandati & promissionis materia sacramenti (3.) *Formalis*. Actio est Dei, gratiam
Forma. suam revelantis, exhibentis, applicantis; & hominum recipientium, applicantium, & exercentium. Sic Deus jussit fieri arcam, Noah fabricavit, Deus per ipsam justum cum suis servavit. Sap. X 4. Idem Noah mactavit bestias, obtulit, Deus immisso igne absumpsit, & de sua gratia certiorem fecit offerentem. Iridem in nubibus ipse ponit Deus, ut & sibi (ἀνθρωποπαθῶς) & hominibus in memoriam revocaret fœdus istum, & hos de se bene sperare juberet.
Finis. (4.) *Finalis* igitur caussa erat fidem accendere, fovere, & augere. Optimè Chrysost. hom. 28. in Genes verba Dei circumscribit: *Accepisti signum, id quod dedi inter me, & omnem carnem, quæ est super terram. Ne ultra confundaris mente, ne turberis animo; sed ad hoc respice, & ipse bonam spem habeto, & omnes, qui post te futuri sunt, hinc consolationem accipiant, & aspectus signi fiduciam eis præstet, quod nunquam talis tempestas terram invadet.* Hæc ille Illustrari hæc possunt ex Philonis antiqq. Biblicis. Refert enim, nescio unde accepta informatione, de quodam postdiluvianorum sacrificio, iride comparente; Verba doctissimi viri sunt hæc: *Tunc* (finito diluvio) *cœperunt operari terram, & seminare super eam; &, cum sitiret terra, exclamaverunt habitantes eam ad Dominum, & audivit eos, & ampliavit pluvia: Et factum est, cum descenderet pluvia super terram, apparuit arcus in nube: Et viderunt habitantes terram memoriam testamenti, & ceciderunt in faciem suam & immolaverunt, offe-
Effectus. rentes holocaustomata Domino* Habes *effectum* sacramentorum. Omnium optimè ista docet Deus ipse apud Jesajam c. 54. vers. 9. Nam solatium afflictissimæ Israëlitidi promittit, quale fuit, cum aqua diluviana Noam perterreret, Vide Lyser. in Noah. p 297. 298.

3. *Divisio*. §. 10 *Dividuntur* sacramenta in initiantia & confirmantia. De his hactenus dictum est. Dictum enim est de arca, sacrificiis, & iride, quibus signis Deus fidem Noachi obsignavit. An autem & *initiationis* sacramentum fuerit in hac Ecclesia? quæritur. Videtur quod sic. Icit enim Deus *fœdus* cum Noacho & *semine* ejus post ipsum; adeoque etiam cum infantibus ex ipso sive immediatè, sive mediatè prodituris. Gen. IX. 9 Sicut igitur, fœdere cum Abrahamo facto, Deus signum dedit, circumcisionem, quo fœderalis gratia infantibus quoque applicaretur; ita dubium non est, quin Deus Noacho quoque tale medium ordinarit, quo in fœdus infantes quoque reciperentur. Quod verò medium & signum fuerit, in ambiguo est. Forsan sacrificia, quæ offerebant, & preces, quibus prolem Deo initiabant. Certe nomina filiis imposita ex prophetico spiritu proficiscebantur, ut peculiarem Spiritus Sancti gratiam in isto actu deprehendamus.

Confer Eccles. Antediluv. p. 25. §. 13.

Articu-



Articulus VI.

DE OBJECTO SEU FINE ꝗ MINISTERII.

Argumentum.

Objectum ministerii sunt homines. Divisi in societates simplices, conjugalem, patriam, & herilem, & compositas. Liberi primogeniti, jus ipsorum: Noachi quis? Defectus historiæ in filiis & posteris Noachi. Japhetis posteri: Gomer, Magog, Madai, Javan, Thubal, Mesech, Thiras. Gomeris: Ascenas, Riphat, Thogarma. Javanis: Elisa, Tharsis, Kithim, Dodanim. Semi: Elam, Assur, Arphaxad, Lud, Aram. Arphaxadis: Sala. Sala Eber. Eberi Peleg, & Jaketan. Pelegi Regu. Regu Serug. Serugi Nahor. Nahoris Thara; Jaketanis Almodad, Saleph, Hazarmaveth, Jara, Hadoram, Usal, Dikela, Obal, Abimael, Seba, Ophir, Hevila, & Jobab. Singulorum explicantur nomina, res gesta, loca, fata, posteri, termini: Divisio. Vita longævitas, victus, amictus, ædes, scientia, artes, & vitæ professiones: lingua. Locus.

§. I.

HActenus dictum est de caussis Ecclesiæ efficientibus cum principali, tum ministeriali, & instrumentalibus. Ordo igitur requirit, ut de materia quoque, sive fine ꝗ dicamus.

§. 2. *Objectum*, circa quod ministri verbi & sacramentorum versantur, sunt homines, sive convertendi, sive conversi. Distribui possunt in societates cum simplices, tum compositas. Simplicium tres sunt species (1.) *Conjugalis* est prima, ut apparet ex Gen. IX. 1. Nam postquam ex arca egressus esset Noah cum suis, Deus repetiit benedictionem nuptialem: Crescite & multiplicamini. *Quando* hæc sit facta benedictio, cum realis, tũ verbalis, in controversiam rapitur à quibusdam Pontificiis, qui somniant 50. años post diluviũ demum fuisse factam, ut obtineant numerum annorum Jubilæorum. Sed refutantur à domestico Episcopo Lauretano, nempe Rutilio Benzonio lib. 3. de jubil. c. 1. Et quidem aliquot rationibus, ut, quod mox post sacrificium Deus benedixerit, sicut continuata narratio ostendit: Sacrificium autem immediate post diluvium sit oblatum. Deinde, quia exhausta post diluvium terra, opus erat

Objectum (1.) *Societates* simplices ut *Conjugalis* ejus quando.

erat

rat orbem è vestigio hominibus replere. Denique, quia cœperunt homines generare ante annum 50: Gen.XI.10. Hæc evincunt quod citius, quam quidam Pontificiorum tradunt, benedictio illa fuerit repetita. *Auctor* est Deus, utpote qui Noacho & filiis benedixit, ut essent habiles ad generandum & multiplicandum. Neque enim inania ista verba fuerunt, sed efficacissima, quibus vis fœcundandi suberat: *Deus verbo suo & præcepto conjungit masculum cum fœmina, idque ad certum finem, ut repleatur terra hominibus. Quia enim Deus peccato libidinis ante diluvium ad iram commotus erat, ideo nunc necesse fuit, propter tam horribile iræ exemplum, ostendere, quod Deus legitimam conjunctionem maris & fœminæ non oderit, nec damnet, sed velit per eam propagari genus humanum.* Luther. enar. in Gen. f. 142. confer Chemnit. part. 2. exam. C.T. p.417. Excipit Bell. lib. 1. de Cler c.21. quod istud Dei præceptum sit intelligendum de terra adhuc replenda, non autem de repleta. Resp. limitationem temporis nullam Deus addit, quare universaliter de omni tempore intelligimus. vide Pelarg. comm. in Gen. IX. p. 199. *Finis* est multiplicatio generis humani & repletio terræ. Gen. IX. 1. & 7. Et fluit ex virtute, mandato, & beneplacito divino; Vult enim Deus Ecclesiam suam sanctis, & cœlum beatis repleri. *Pertinet igitur hic locus ad conjugii dignitatem, quod fons Oeconomiæ & politiæ est, & seminarium Ecclesiæ:* juxta B. Lutherum. Vapulat igitur decret. 32. part. 2. q. 2. Can. nuptiæ, cum bina & bina animalia, sed immunda tantum, in arcam fuisse ingressa ait numero pari; sed mundorum ingressa esse septena numero impari, eo fine, quod *Nuptiæ terram impleant, Virginitas cœlum. Unde & in arca Noë omnia animalia, quæcunque bina ingrediuntur, immunda sunt; Impar numerus est mundus.* Impie & inepte! Istud; Nam immundum non est, quod Deus benedixit. E. nec conjugium; aut homines propter conjugium. 1. Tim. IV 3. vocatur prohibitio conjugii doctrina dæmoniorum. Hoc vero, quia bina & bina, i.e. masculus cum fœmella, par cum compari, etiam de mundis animalibus, ingressa sunt. Bina enim *ex omni carne.* E. etiam *munda* sunt ingressa Gen. VI. 19. vide Perer. lib. XI. in Gen. disp. 3. §. 10. seqq. Curiosa est, nec tamen solida, Ambrosii, Eucherii, Procopii, Rabani, Hugonis, Abulensis, Tornielli, Boulducci, aliorumque, etiam Judæorum, observatio

Auctor.

Finis.

contrarius.

vatio ad Gen. VIII. quod egressi sint Mariti cum uxoribus, singuli cum singulis: secus quam ingressi essent. Tum enim solos masculos, solasque fœmellas introivisse. : Quæ ratio diversitatis? Respondet Ambrosius : c. 21. de Noë : *ad seminarium cæterarum usus & cura conjugii, cum diluvium recessit. Itaque non viri cum viris, sed fœminæ cum viris exeunt, ut virilis inter se interdicta commixtio, permissa autem virilis & fœminea legitima sorte conjugii copula videretur.* Addunt & hoc, quod in ipsa arca non licuerit matrimonio uti, sed postea demum, finito diluvio. Etiamsi autem non negemus copulæ carnalis usum in arca fuisse aut prorsus omissum, vide Bissel. ruina. 4. dec. 1. p. 309. §. 5. aut rarius exercitum, quod in luctu versarentur, id tamen ex l. c. probari nequit. Sicut enim Noah dicitur esse ingressus *cum filiis, uxore, & nuribus* Gen. VII. 7. Eodem prorsus modo dicitur egressus esse. Gen. VIII. 18. Et sicut par cum compari ex arca ivit. v. 19. Ita *bina & bina*, i. e. maritus cum fœmina ingressus est. VII. 9. *Materia* sunt unus masculus, & una fœmella. Gen. VI. 18. VII. 7. 1. Pet. III. 20. Dicitur enim Noah cum uxore, non cum uxoribus suis; item cum filiis & nuribus (quarum tres erant, tribus nuptæ filiis Noach, ut octo animæ rationales in arca versarentur) in arca esse servatus. Rejicitur igitur hoc ipso flagitium *ἀρσενοκοίτων*, & *θηλειοκοίτων*. Utpote quod illi non sint correlatum mariti; hæ verò ineptæ ad multiplicandum homines. *Forma* est copula animorum & corporum, & elicitur ex fine, qui est multiplicatio; hæc vero sine illa unione fieri nequit. *Effectus* sunt *filii filiæque*: Gen. XI. 11. Non filii soli, nec filiæ solæ, secus non fuissent masculi & fœmellæ, i. e. materia propagationis, sed filii & filiæ. *Adjuncta* sunt bona vitæ necessaria. Gen. IX. v. 2. seqq. Deus dote quasi donat recens benedictos conjuges. Subjicit enim ipsis bestias, & tradit vescendas, sicut olera edebant. vide Pelarg. in Gen. IX. *Errat* Tertullianus c. 4. de Monog. cum ex Gen. VI. 19. 20. VII. 2. IX. 1. 7. deducere vult, unam tantum uxorem semel in vita ducendam esse, non plures successivè. Etiamsi enim ex locis citatis sequatur singulas tantum singulorum fuisse uxores, tamen N. C. defunctis illis alias non licuisse ducere.

Materia. *Forma.* *Effectus.* *Adjuncta.* *Antithesis.*

§. 3. E societate conjugali fæcunda nascitur societas (2.) *Paterna.* Radix hujus post diluvium societatis erat Noah parens filio- *Paterna in Noacho.*

filiorum trium: Ut merito dicatur *ἀρχὴ γένους principium humani generis:* à Just. Dial. f.182. *σπέρμα τοῦ γένους καὶ ῥίζα τῆς φύσεως, καὶ δεύτερος Ἀδάμ: Seminarium generis, & radix naturæ, & secundus Adam,* à Theodoreto. Sicut enim ex unius hominis Sanguine, nempe Adami, fecit omne genus hominum ante diluvium Actor. XVII. 26. Ita post diluvium ex unius Noachi lumbis prole facta omnem mundum implevit Deus. An Noah post diluvium genuerit alios liberos? Disputant. Affirmant Berosus lib.2. Et Methodius in revelationibus suis, ut habentur orthod. Patr. f. m. 389. Hist. Schol. c.35. Negant Chrysost. hom.24. in Genes. Epiph.1. panar. Abulens. in Gen. IX. q.9. Quibus accedunt illi, qui fingunt Noachum à Chamo carmine Magico esse fascinatum, ut inhabilis esset ad amplius generandum. vide R. Lev. in c. 9. Gen. Genebr. Chronol. an. 1658. Scriptura nihil definit; ita tamen loquitur, ut probabilius sit genuisse filios filiasque Noachum. Nam repetitur benedictio eaque realis super Noachum, & non tantum super filios; Et fuit vegetus adhuc Noachus, nempe 600. annos natus, post quos 350. annos supervixit; uxoratus præterea. Et in vacua terra constitutus, quis igitur neget procreandis amplius liberis operam dedisse? Berosus lib.3. Chald. fingit maritos post diluvium *congressos cum conjugibus perpetuo geminos edidisse, marem & fœminam, qui adulti & conjuges effecti, & ipsi binos partu liberos semper ediderint.* Incertum hoc est. Id verò non negandum, fœcundissimos fuisse homines, si cogitemus ingentem militum vim, quos paulo post in exercitu suo habuisse dicitur Ninus, nempe 1700000. peditum, & 200000. equitum; & 10600. curribus destinatorum. Natus enim est Abraham sub imperii Niniani anno 43. ut ex Ctesia refert Eusebius. *Officium* parentum est liberos bene educare. Exemplum præbet Noachus, qui indignabatur Chamo irrisori, & contra laudabat pietatem Semi & Japheti; quo ipso Doctoris munere functus est. Epiphanius in Ancorato scribit, quæ huc faciunt: verba sunt hæc: *Noah cum filios suos pios efficere conaretur, ut ne in eadem mala inciderent, sicut hi, qui in diluvio perierant, non solum per doctrinam ipsis pietatem proposuit, sed etiam per jusjurandum ab unoquoque ipsorum benevolentiam exegit.* Loquitur de ipso, ut distribuebat filiis terram hæreditariam, ut per *testamentariam* voluntatem solent facere, sicut

Officium parentum.

ut

ut Cedren. in comp. hist. f. 10. loqui amat, cum igitur tum maximè filios hortari, vel dehortari soleant cordati parentes, ideoque similia fecisse Noachum isti tradiderunt. *Potestas* parentum erat in ipsam liberorum & nepotum vitam. Colligitur ex Gen. IX. 6. ubi lex de puniendis homicidis fertur, quod supponimus alibi probatum; At tum nullum adhuc erat politicum, famosius sic dictum, regimen, nisi œconomicum, parentis in filios nurusque: sequitur igitur penes Patresfamilias seu capita familiarum fuisse jus necis & vitæ. Confirmatur ex Gen. IX. 25. ubi Noah maledicit filio suo Cham, quod facere non debuisset, nisi publica auctoritate munitus, saltem in rebus Ecclesiasticis. Apparet igitur utrumque habuisse gladium capita familiarum, nempe & civilem, & Ecclesiasticum. Asserunt hoc juris sacri & secularis filiorum *primogenitis* Sander. de visib. Mon. lib. VIII. f. 200. Fuller. Misc. lib. 2. c. 4. Selden. de succes. in Pontif. c. 1. post Hieronymum in qq. Hebr. qui ex Judæis sententiam hausit. Nec refragamur. *Adjuncta* parentum sunt dolores de filiorum pravis moribus. Nec enim dubium est, quin Noah acerbissimè tulerit nequitiam Chami sui filii, & Canaanis nepotis, præsertim eapropter excommunicatorum. Idem de reliquis colligere licet ex phrasi: genuit filios filiasque Gen. XI. 11. 13. seqq. *Significat* enim Moses, *eos fuisse Patresfamilias, gubernatores politiæ & Ecclesiæ miserrimos & laboriosissimos, ut qui sub regno Diaboli, quod sub Adam cœpit, educare liberos, regere domos & Resp. & Ecclesias in cultu Dei, & officio verbi, sunt coacti.* Luther. in Chron. t. 4. Jen. Lat. f. 681.

Potestas.

Adjuncta.

§. 4. Dicendum jam esset de singulis sive filiis, sive nepotibus, sive gentibus, ex Noacho, & tribus ipsius filiis, qui derivati sunt: sed præstat præmittere societatem (3.) *Herilem*, ne rejecta in remotiorem locum pariat aliquam confusionem. Extitisse igitur talem potestatem manifestè patet ex Gen. IX. 25. 26. 27. Nam Chamus dicitur servus servorum. Servo autem respondet herus. Confirmatur ex Gen. X. 31. ubi habetur vox מִשְׁפְּחֹת familiæ. Tales enim putat, in quibus habentur שִׁפְחוֹת ancillæ, servæ. Existimat Chrysostomus hom. 29. in Genes. cœpisse hoc demum tempore servitutem. Sed vix videtur stare posse, si peccatum cogites, jam ante diluvium existens, quod ipse tamen servitutis caussam facit. Verba

Herilem, ejus existentia.

Patris sunt hæc : *Inde servitus postea sumpsit originem. Neque enim antea solebant ita molliter agere, & deliciari, & aliorum ministeriis indigere, sed sibi ipsis ministrabant quoque : Eratque par omnium honor, & ablata è medio erat omnis honorum diversitas. Peccatum autem ubi intravit, libertatem perdidit, & corrupit potestatem naturæ datam, servitutemque introduxit, ut continua sit doctrix & admonitrix humanæ naturæ, ut fugiamus servitutem peccati, & ad virtutis libertatem redeamus.* Si igitur peccato intrante libertas periit, id quod factum est jam ante diluvium, sequitur servitutem fuisse & ante diluvium.

obj. Dicis cum Perer. lib. XIV. in Gen. IX. §. 182. intelligi peccatum non quodvis, sed Chami. In quem sensum & August. lib. XIX. C. D. c. 15. loquitur. Resp. Chrysostomus in genere loquitur: *peccatum ubi intravit, libertatem perdidit,* hoc vero non intravit per Chamum, sed Adamum. Rom. V. 12. seqq. Augustinus quidem loquitur de servitute Chami, ut effectu peccati, sed expresso; *Nusquam scripturarum legimus servum, antequam hoc vocabulo Noë justus peccatum filii vindicaret.* At N. C. servum propterea non fuisse. Neque enim scripturæ propositum est servitutis ex professo, sed tantum ex occasione, meminisse. Largimur interea molestiorem & graviorem servitutem subinde factam fuisse, vitio scelerum grassantium: juxta Torniel. Annal. 1666. §. 7.

Societas *composita*, i. e. Politica ejus existentia.

§. 5. Ex conjunctione harum societatum nascitur composita, nempe politica, hominum & familiarum aliquot sub uno capite parentium. Quæritur: *An durante Ecclesia Noachica fuerit species Regni, vel Monarchia, vel Aristocratia, vel Democratia ?* Videntur negativam tueri Chrysostomus hom. 29. in Gen. in verbis §. 4. citatis, August. lib. XIX. C. D. c. 17. *Primi*, inquiens, *justi pastores pecorum magis, quam reges hominum constituti sunt.* Hieron. qq. in Genes. Et ex Hieronymo Rupertus lib. IV. de vict. verbi. c. 43. Epiphanius quoque ab initio Panarii, Abulens. q. 6. in Gen. 10. Danæ. lib. 3. antiq. c. 4. p. 390. Salian. An. M. 1932. §. 2. seqq. eo unanimiter tendunt, Nimrodum primum cœpisse tyrannidem antea insuetam. Nostra sententia est: distinguendum esse inter rem ipsam, & rei circumstantias, seu modum. Rem ipsam fuisse asserimus, Nempe regiam potestatem, vel certè regiæ majestati analogam. Probatur Genes. IX. 5. 6. ubi jus necis & vitæ tribuitur certis quibusdam

busdam hominibus in alios, qui aliis vim faciunt: Quod si potestatem in aliorum vitam habuerunt, quanto magis in bona ipsorum, & similia, quæ magistratui subduntur. Collectio est B.Luth. in h.l *Exemplo* sit Noachus, caput generis humani. Nam distribuit ille Rex inter suos sorte an oraculo? monitus, orbem in tres filios; Nec dubium est singulos fuisse suorum filiorum, nepotum, & abnepotum Dominos, donec facta dispersione subdivisi sunt in peculiares populos, linguas, & nationes, quorsum plerique Regnorum ritè constitutorum ortum referunt. Vide Torniel.An M.1931.§.2. & 1932.§.1.2. Salian. annis citatis. §.5.6. Philo Judæus in antiqq. Biblicis tres facit illustres Duces, nempe Nimrodum Chamitarum, Phenechum Japhetitarum, & Jectanem Semitarum, numerat & singulorum subditos, ordines, numerum, velut instituta lustratione. Paulo aliter historia Scholastica c.35. *Nimrodi*, inquit, *exemplo cœpit regnare Jectan, super filios Sem, Susene super filios Japhet.* Eusebius in Chronico quindecim Ægyptiorum dynastias numerat à Manethone Ægypto, Sacerdote, mutuo acceptas: fuerunt autem ante Abrahamum. Eorundem antiquitatem extollit Herodotus in Euterpe, plures numerans ætates, quæ ad 17000. annorum excurrunt. Idem Eusebius videri potest de regnis aliis, Assyriorum puta, & Sicyoniorum. Boulduccus libr.2. de Eccles. ante leg. c.2. suos Chaldæos Raphas nobis commendat, & in illis primum Arphaxadem: Supersedemus plura adducere, cum pleraque sint falsa & fabulosa, vel certe incerta Eusebii Ægyptiacas Dynastias obelisco notavit Salianus ann.M.1931.§.61.62. Placet nobis Tornielli judicium: *Sedecim illas priores Dynastias præcessisse ortum Abrahæ, aut fuisse multo pauciores, aut admodum breves.* ann.M.1932.§.3. Non possunt esse dynastiæ vetustiores ipso Misraim Ægyptiorum parente; Vide Dn. D. Dannhaw. contra Præad. p.187. seqq. Boulducci commentum, de Raphis regionis Chased, nullo nititur fundamento, & Grammaticæ derivationi Arphaxadis repugnat. Fuisse Reges, vel certè Magistratus nobis sufficit: *sine imperio non domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus durare potest:* ait Cicero libr. 3. de leg. Qui vero, & quales, & ubi fuerint Magistratus, vel Reges, in authenticis monumentis claè expressum non est. Videntur tamen illi,

& Exempla.

illi, qui Genes. X. recensentur, ex tribus Noë filiis prodiisse, potestatem in suos & imperium tenuisse saltem tum, cum confusi in varias orbis partes secesserunt. Dicemus aliquid amplius inferius, ubi Chamitarum Ecclesiam, & gentem dabimus explicatam. Nam hi mundi hujus filii, maturius de exornandis regnis fuerunt soliciti, quam Semitæ pii. Interea regiam auctoritatem non spreverunt. B. Luther. in enar. f. 159. vocat *maximos Reges* Japheti posteros, & nepotes.

(II.) *Singuli homines* ut Filii Noachi, eorum *primogenitus* quis?

§. 6. De hisce Noachi posteris aliquid amplius dicendum est. Erant Noacho tres filii: Sem, Ham, & Japhet. Gen. V. 32. VII. 13. IX. 18. *Quis* autem eorum *fuerit primogenitus*, quis secundo, quis tertio genitus? controversum est. Alii faciunt Semum primogenitum, quippe qui locis citatis primus omnium nominatur. In his est Nicolaus Sanderus Pontificius libr. VII. Hier. Eccl. 200. aliique, ut obtineant, papalem auctoritatem fuisse penes unum, eumq; primogenitum. Alii Chamum locant ab initio, ut Chrysostomus hom. 29. & Hieron. contra Luciferianos: Nec quidam ex nostris abhorrent ab hac sententia, sicut nec illi, qui putant jura primogenituræ fuisse Chamo adempta, & Semo, & Japheto tradita; Alii Chamum faciunt medium, ut Cyprianus epist. 63. August. C. D. lib. XVI. 3. Theodoret. quæst. 57. in Genes. Eucher. l. 2. in Genes. IX. c. 2. Procop. ad l. c. Alii denique Japhetum primo, & Semum secundo, Chamum autem tertio locant ordine, ut Luther. enar. f. 104. Danæ. antiq. ad X. p. 328. Beroald. Chron. lib. 3. c. 2. Rivet. exerc. in Gen. 49. Glass. im Mosais. Lehrkern. p. 522. Bochart. libr. 2. Phal. c. 1. quibus nos calculum subjicimus nostrum.

Sententia. Rationes 1.

Rationes sunt (1.) Quod Noach genuerit anno ætatis 500: At tum non genuit Semum. Nam ipse Sem biennio post diluvium genuit, cum esset 100. annorum; fuisset autem 502. anorum, si tum Noë 500. fuisset natus. Nec valet exceptio, quod saltem ante annum 500. non genuerit Noah, quidquid sit de generatione post istos annos. Nam urgemus literam, quod Noah natus annos 500. cœperit generare, adeoque agens annum 500; quæ nativa significatio literæ est. Manet igitur, quod Sem non fuerit primogenitus. Nec obstat, quod primo loco appelletur. Id enim potuit esse ratione adoptionis,

2. vel dignitatis, quod Messias ex ipsius stirpe proditurus esset. (2.) Sem dicitur

dicitur frater Japheti majoris natu. Gen. X. 21. Nec valet exceptio τὸ הגדול referri quoque posse ad שם אחי quasi Sem esset Japheti frater natu major. Regulariter enim adjectivum refertur ad substantivum proximius, non remotius. Proximius autem est Japhet, non Sem. (3.) Cham dicitur Noachi filius minimus Gen. IX. 24. 3.
Excipiunt id intelligendum esse de Canaane Noachi nepote, qui filius dici possit. Resp. Filii significatio competit regulariter in eum, qui immediatè, ut Cham, non mediate, ut Canaan, genitus est. Et, si literam, ut decet, urgemus, Cham parenti illuserat, non Canaan, quare de Chamo certior est redditus, non de Canaane. (4.) 4.
Accedit ordo Genes. X. Nam prius recensentur posteri Japheti, quam Chami, & hujus, quam Semi, ut saltem illud contra Pontificios sequatur, Semum non fuisse primogenitum, si omnino ordini aliquid tribuendum est. Quærunt amplius: *An filii & nepotes Noachi plures, quam qui Gen. X. enumerantur, genuerint?* Affirmant August. C. D. XVI. 3. Eucher. lib. 2. Comm. in. Gen. X. c. 5. recenseri autem eos solum, qui capita gentium & populorum extiterunt. Et patet ex Gen. XI. 11. ubi Arphaxad, sicut & cæteri, referuntur *filios filiasque*, præter allegatos, genuisse.

§. 7. Optandum est, ut historia extaret coæva luculentius explicata, forsan exinde peti posset explicatio nominum, quæ filiis suis veteres imposuerunt. Haberemus dubio procul maximas res in compendium veluti redactas, ut in nomine Peleg divisionem & confusionem Babelicam. Sic enim solebant ὀνομαθέται respicere ad aliquod vel futurum, vel præsens factum in nominibus, quæ infantibus imponebant. Vide Hieron. in cap. 23. Jerem. sub finem, ubi scribit: *Ex verbis & interpretatione nominum sæpe res ostenduntur, Abraham, Sara, & Petri & filiorum Zebedæi, vocabula commutata, significant rerum mutationem.* Confer Luth. enar. 159. Pelarg. Comm. in Gen. X. pag. 227. §. 8. Dolendum est & hoc, quod non omnes gentes sua *retinuerint nomina primæva, sed quædam etiam mutaverint, nonnullæ in familiarem accolis & notiorem vocem sint versæ, Græcis potissimum talis nomenclaturæ auctoribus*, judice Joseph. lib. 1. antiqq. Jud. c. 25. Potissima causa sunt migrationes gentium, & irruptiones exterarum; sic enim inter sese sedes & linguas vel permutarunt, vel commiscuerunt, ut locum in loco, & gentem in gente hodie

Nepotes Noachi & Eorum nomina & gestæ res in obscuro olim

quæras, nec invenias. Quæ causæ sunt tot dissensionum inter eruditos, cum explicanda sunt nomina capitum, & gentium, quarum Moses mentionem facit in radicibus populorum omnium Gen. X. Josephum & Hieronymum plerique veterum sequuntur, cum gentium & capitum illustrium nomina, loca, fata, & tempora explicant. Recentiores autem, ut dies diem docet, propius ad scopum accedunt, adjuti longiori experientia, & cultioribus literis, & pluribus argumentis. Non semper inhærere licet cortici literæ, sed ex aliis quoque auctoribus, non sacris tantum, sed etiam profanis conferenda sunt vel characteres gentium, vel termini, vel situs cœli & locorum, vel vicini, vel mores; nec spernenda sunt testimonia veterum, quæ primam non raro glaciem fregerunt. His adminiculis propius accedere possumus ad nomina & loca sive hominum singulorum, sive gentium, quæ à Mose singulis tantum vocabulis subindicantur. Dico sive hominum singulorum, sive gentium, imo & locorum, si quorundam judicio standum, qui Hazarmaveth, Genes. X. 26. de valle mortis, i.e. loco explicant, ut Bochart. libr. 1. Phaleg. cap. 2. qui post Chytræum nostrum optimè meritus est de capite Decimo Geneseos; Nam justo commentario explicuit, quem Phaleg inscripsit. Multum nos ipsi debere ingenuè confitemur.

hodie in majori luce.

§. 8. Enumerabimus autem hoc loco stirpem Japhetitarum, & Semitarum, velut Ecclesiæ veræ membrorum. Dubium enim non est, quin pientissimi parentes, Japhet & Sem, filios suos, & ex his natos nepotes & abnepotes Ecclesiæ suæ i. e. veræ initiarint, Deoq; consecrarint; quod in Chamitis, vestigia Patris sequentibus, non æquè præsumas, ut illos ad Ecclesiam veram, hos ad falsam hactenus referre possimus. Etsi negare nolumus, multos ex Japhetitis & Semitis quoque successu temporis degenerasse, quod infra dicemus, cum de defectu Ecclesiæ visibilis faciemus verba. *Japhet* à gentilibus dictus est *Japetus*, levi immutatione; item Neptunus, à radice פתה, in Niphal נפתה; hinc Ægyptiorũ *νέφθυς*; terræ extrema, & promontoria, quibus Neptunus præerat. Dicitur & Posidon, à punica voce פשט Pesitan; quod latum, ut Japhet, sonat. Vide Bochart. lib. 1. Phal. c. 1. Mari ipsum gentiles præfecerunt, quod insulæ ipsius sorti cesserint. Vide Lactant. lib. 1. de fals. relig. cap. 11.

Enumeratur

Japheti

Cessit

Cessit autem ipsi pars Asiæ & Europa, *ut de novo orbe taceam, in quem per fretum Anianis migrasse Scythas, vero non est absimile*: juxta Boch. lib. 3. c. 1. quod ipsum Semitis tribuit Lyser. in Noa. p. 405.

§. 9. Ex Japheto, filiorum primogenito, prodierunt (1.) *Gomer*. Sic dictus à גמר perficiendo vel consumendo. Josephus lib. 1. c. 7. antiq. intelligit Galatas, olim Gomarenses dictos: quem sequuntur Hieronymus, Procopius, Vatablus, Sa; sed Lutherus, Chytræus, Arias Montanus, Merula Cimbros volunt, ad Pontum Euxinum accolas. Nituntur hi (1.) *voce*, quæ à perficiendo dicta est, puta latitudinem, Japheto promissam: Cimbri enim longè lateque terminos suos explicuerunt, etiam in Ecclesiam recepti (2.) *Situ gentis*. Ezech. XXXVIII. v. 6. Nã statuuntur esse populi Judæis aquilonares, & in exercitu Gogi futuri, quem de Scythis Scenitis explicant vulgo. Nec (3.) *nomen* multum abludit. Facile enim mutes G in C, ut ex Gomer fiat Comer, & Cimmer, & Cimber. Bochartus lib. 3. Phaleg c. 8. Phrygiam intelligit, cujus pars dicitur *κατακεκαυμένη combusta*, quæ significatio est vocis גמר apud Chaldæos, & Syros. & confirmat voce *φρύγειν torrere*, unde Phrygia nomen accepit. Conciliari potest hæc sententia cum prioribus, si dicamus Gomeritas fuisse initio Phrygiæ, & huic vicinæ, Galatiæ incolas, migrasse deinde versus septentrionem ad pontum Euxinum, dictosque Cimmerios, & contractè Cimbros. Vide Salian. ann. 1931. §. 22. Pererius Syros intelligit, utpote Judæorum hostes. At Syri descenderunt ab Aram filio Semi, Gen. X. 21. 22. non autem à Gomer, filio Japhet. Filii (1.) Gomer.

§. 10. (2.) *Magog*. Nomen accepit à tecto, seu tabernaculo, sub quo gens ex ipso nata habitare consuevit. Alii volunt esse Massagetas, & Getas, ut Arias Montanus, quique ipsum sequuntur: Alii Cælesyros, ut Beroaldus, Merula, Pererius; Alii Aquitanos, ut Chronicon Alexandrinum; alii Celtas, ut Eusebius, Alii Scythas, ut Josephus, Hieronymus, Theodoretus, Procopius, Lutherus. Cum autem duo sint genera Scytharum, alii enim sunt, Europæi, alii Asiatici, quæritur, quinam intelligantur? Salianus an. § 23. Europæos intelligit ad Bosphorum Cimmeriũ sitos. Contra Bochartus libr. 3. Phaleg. c. 13. Asiaticos mavult Caucaso adhærentes: probatque ex Ezech. XXXVIII. 2. ubi Gog in terra Magog (2.) Magog.

locatur princeps Capitis, vel Rhos, Meſech & Thubal. Ex Gog autem eſt Gogaſus, ſeu Caucaſus mons: cui alligatus fuit Prometheus, id eſt, Magog, à quo & urbs in Syria nomen accepit, juxta Plin. libr. 5. c. 28. Utraque ſententia poteſt conciliari ſecum, ſi dicamus & Europæos & Aſiaticos Scythas ex eodem fonte, Magog, fluxiſſe, habitaſſe autem initio in Aſia juxta Caucaſum, migraſſe deinde, in multum auctos, verſus occaſum & ſeptentrionem i. e. Europæos eſſe factos. Ex quibus Gothi, quos Ambroſius intelligit, & Germani, quos mavult Chaldæus, prodierint. *Muhammedani* appellant quendam Jagog, ſive eundem, ſive diverſum à Magogo, ſolita impoſtoris fraude. Vide Hott. hiſt. orient. lib. 1. c. 3.

(3.) Madai §. 11. (3.) *Madai*. Dictus vel à menſura, rad. מדד *menſus eſt*: vel à ſufficientia די *ſufficiens*, ut מ ſit præfixum. Omnium confesſione parens eſt Medorum, qui tenebant regionem Armeniæ & mari Caſpio vicinam, Ecbatana metropoli, ubi æſtiva agebant Perſarum reges, illuſtrem. Apertè colligitur explicatio ex Dan. V. 17. VI. 8. VIII. 20. Eſth. I. 3. 14. X. 2. Unicus Salianus diſſentit ann. 1931. §. 24. De quo poſtea. §. 13.

(4.) Iavan §. 12. (4.) *Javan*. Vocem alii derivant ab eſt & non eſt, ut Hieron. lib. 8. comm. in Geneſ. alii à יין vinum, unde Janus nomen accepit, qui primam vineam condidit; poſſet quoque à יון lutum deduci. Quidquid autem ſit de voce, Græcorum certè parens eſt ille Javan, ut apertè colligitur ex Dan. XI. 2. Dicitur enim quartus Perſarum Rex i. e. Xerxes inſurrecturus contra regnum Javan, i. e. Græciam. Eadem vox habetur Dan. X. verſ. 20. ubi princeps ex Javan, i. e. Græcia imminere prædicitur Perſarum Regi. c. VIII. 21. Comparatur Capro, qui arietem i. e. Perſarum regem Darium debellaturus erat. Ben Gorion ſuffragatur. Nam ex יון derivat Jones, verba ipſius ſunt: *Filii Javan ſunt Jones, qui habitant in terra Macedonia.* Habitarunt initio Jones in Græcia, ſed ejecti ab Achæis in Aſiam trajecerunt, regionique Joniæ nomen dederunt. Pauſan. lib. 7. confer. Tert. de pal. c. 2. Strab. l. 8. Boch. lib. 3. Phal. c. 3. Gen. X. 5. inſulas impleviſſe dicuntur, nempe maris mediterranei, Ægei, & Jonii, quas incolebant. Vide Luther. ad l. c.

(5.) Thubal. §. 13. (5.) *Thubal*. Nomen accepit à יבל *protulit, fructificavit*, qu. d. Germen, ſurculus. LXX. vocant Θώβελ: Alii faciunt hunc

hunc parentem Iberorum seu Hispanorum; illud Josephus, hoc Hieronymus. Vide Abulens. in Gen.X. Ariam Montanum; Vilalp. in Ezech. 37. Alii Italiam malunt assignare posteris; Lutherus noster, quem sequitur Boch. Phal. lib. 3. c. 12. intelligit Tartaros. Et merito. Conjunguntur enim Thubal & Mesech frequentius. Ezech. XXVII. 13. XXXII. 26. XXXVIII. 2. 3. XXXIX. 1. ut populi vicini. Mesech autem ortum dedit Moschis, quibus vicini sunt Tartari: olim dicebantur Tibareni, quos juxta Colchidem locat Strabo lib. VII. XI. XII. Imo Josephus nobis suffragatur. Intelligit enim ipse Iberos Colchidis accolas, non Hispaniæ, ut Hieronymus. Nec valet, quod Salian. an. 1931. §. 26. obtendit (1.) Ezechielem loqui de institoribus metallorum, ubi de Thubalæis loquitur, at *constat Hispaniam metallis abundasse.* (2.) Hispaniam esse Tyriis remotiorem, quam Moschis & Tartaris, adeoq; gloriosiorem. (3.) Asiam Semitis obtigisse, Europam autem Japhetitis: intelligi ergo Hispaniam. Resp. ad. 1. Esto, Hispaniam metallo abundare, non tamen omnis regio, ære abundans, erit Hispania. Etiam & Mosynœci, Tibareniæ in Cappadocia gens, ære abundarunt, teste Aristotele, & tota Cappadocia mancipiorum fuit seminarium; imo Chalybes populi, nomine à Chalybe accepto, in eadem regione inclaruerunt. Ammian. Marcell. c. 22. Ad (2.) Non omnes Tyriorum institores è longinquo venerunt. Nam & Judæi & Israëlitæ in illis numerantur, qui tamen vicini erant. Ad (3.) Japhetitæ Asiam quoque obtinuerunt: Medi enim ex Madai prodierunt, qui fuit filius Japheti: teste Josepho, Hieronymo, Procopio, Isidoro, ipso Saliano. §. 24. fatente; & plures alios largiente. Excipit autem intelligi Mediam non Asiaticam illam celebrem, sed Græcam, de qua Ptolem. in tabb. libr. III. c. 11. Rationes sunt. 1. quia propius ad Hebræam vocem accedit מדי vox Medica, quam Media. 2. Quia Japheto Europa obtigit, non Asia. 3, quia fratribus vicinior, si in Thracia locum occupavit. Resp. ad 1. Imò Media cum Madai magis, quam Medica convenit: unde ipse Salianus fatetur *scripturam, quæ hujus (Græcæ) Mediæ non meminit, illi Mediæ Asiaticæ nomen Madai tribuere:* Ad. 2. petitur principium. Ad. 3. Japhetitæ latissime sese, juxta Salianum ipsum, in Hispaniam us-

que extenderunt, quam verò hæc remotiſſima eſt ab ipſa Thracia Madai, juxta ipſummet, ſede.

(6.) Meſech. §. 14. (6.) *Meſech.* Nomen accepit à משך *protendit*, *protraxit*, forſan quod latiſſimè ſeſe extenderint ipſius poſteri. Diverſimodè autem explicant gentem hinc ortam. Alii enim intelligunt Cappadocas, in quibus eſt urbs Mazaca nomine: ut Joſephus, Hieronymus, Procopius; Alii vicinos vel Syriæ vel Arabiæ, in quibus habitavit David Pſalm. CXX. 6. ut Beroaldus, Alii Armeniam majorem, ut Lutherus; alii Moſcoviam, ut Genebr. in Pſal. CXX. Arias Montanus in Phaleg, Mercerus in theſauro Pagnini, Chytræus in Gen. f. 292. Salian. an. 1431. §. 34. Bochart. in Phal. l. 3. c. 12. Quibus noſtrum nos calculum adjicimus. Nam Ezech. XXVII. 13. conjungitur cum Thubal Meſech, mancipiis & vaſis æreis inſtitor celebris: At hæc veterum Moſchorum merces erant, qui tenebant, quidquid montium à Phaſi usque ad Pontum Cappadocium exporrigitur, unde & Moſchici dicebantur. Luthero non refragamur, qui Armeniam vult, ita tamen ut hinc verſus occaſum & Septentrionem ſedes promoverint veteres Moſchorum. Nam ipſe Strabo libr. XII. Armeniam Minorem Tibarenis, Moſchorum vicinis, adjungit. *Ego libenter dicerem*, inquit Lutherus, *ratione nominis motus, eſſe Moſcemos, ac fieri poteſt, ut ex Armenia in ea loca, quæ nunc tenent, migraverint, ſicut ſæpe populi migrarunt in alia loca, quæ, pulſis colonis, occuparunt.* Hæc ille.

(7.) Thiras. §. 15. (7.) *Thiras.* Derivant à הרס *fregit*, ut Thiras ſit *depopulator.* Etymon non abludit à moribus Thracum, qui ex Thira deſcenderunt, juxta Joſephum, Euſebium, Hieronymum, Iſidorum, Abulenſem, Ariam Montanum; Quanquam alii, ut Eugubinus, Tyrios intelligant, alii, ut Arabs, & quidam Hebræi, Perſas; Sed nullo nixi fundamento; Prior igitur ſententia nobis placet, præſertim cum plura Thraciæ loca adhuc olim Etymi veſtigia retinuerint. Vide Bochart. lib. 3. Phaleg. c. 2.

An plures? §. 16. Hactenus ſeptem filii Japheti, juxta fontes Hebræos allegati, & numerati. Chronicon autem Euſebii, & Alexandrinum, quibus aſſurgit Auguſt. lib. XVI. C. D. c. 3. addunt octavum quendam, Eliſam. *Cenſeri autem debet omiſſus à Moſe, cum aliis multis, quod caput gentis alicujus non fuerit, neque peculiari lingua diſtinctus:* judice

judice Saliano an 1931. §.21, Imo magis censeri debet supposititius, ut ille Jonithus Berosianus, quia à Mose non memoratur. Unde enim sciverunt vel Eusebius, vel alii post ipsum, octo habuisse Japhetum filios, & inter hos quendam Elisam, nisi ex Mose antiquissimo istorum nominum scriptore? Cum autem hic taceat, ex traditione saltem incerta videntur isti suum Elisam accepisse.

§. 17. Ex genuinis Japheti filiis duo fuerunt, quorum posteros enumerat Moses, Gomer & Javan. Genes. X.3. Gomeris filii fuerunt (1.) *Ascenas.* Nomen derivant ab אש *ignis*, כ & נזה *aspersus*. q.d. igne aspersus, vel ignem dispergens. Alii ex אש & כהן sacerdos: Goropius Becanus ab אשש viriliter egit, כ sicut, & נז accipiter. q.d. Geirmann.. Forsan non incommodè ex אש & כנס collegit, unde כנסת congregatio, Ecclesia, Synagoga. Videtur ille Ascenas fuisse primogenitus, adeoq; sacerdos, & custos sacri ignis, ut nomen inde acceperit. Posteros ipsius alii faciunt Rhegienses Italiæ populũ, ut Josephus, Eusebius, Hieronymus, Isidorus, Ortelius; Alii Gothos, ut post alios Salianus an. 1931. §.31. Alii Ascanios, Bithyniæ gentem, ut Arias Montanus, Chytræus, Bochartus lib. 3. Phaleg. c. 9. Alii Germanos, ut Lutherus, Aventinus libr. 1. ann. Bojor. Lyserus, Waltherus. Quorum sententia priori non est adversa. Nam potuerunt ex Bithynia Asiæ regione in Germaniam nostram concessisse, ut Mysi olim, Heneti, aliæque gentes Asiaticæ sese effuderunt. (2.) *Riphat.* Derivant à רפא *Sanare*, ut ריפת sit medicus: alii à רפת bovile, quasi jumentis & bubus operam Riphat dedisset. Scribitur etiam Diphat, facili inter ד & ר permutatione. Descenderunt ex hoc, juxta Chaldæum, Franci, cui Arabs subscribit; juxta Eusebium, Sauromatæ, juxta Chronicon Alexandrinum, Garamantes; Riphæi, juxta Ariam Montanum, Merulam, Ortelium; Alios denique, Paphlagones, ut Josephum & Hieronymum, quos sequitur Chytræus, & Bochartus lib. 3. Phal. c. 10. Ita tamen ut noster Chytræus Riphat faciat Henetorum stirpem, qui cum Cimmeriis in hæc septentrionalia & occidua loca immensis agminibus concesserunt. (3.) *Thogarma.* Chytræus derivat à גרם *os*, q.d. confringet ossa. Josephus corruptè legit Thygrammes; Et putat ex ipso natos esse Phrygas, quem sequitur Hieronymus, Theodoretus, Isidorus; Alii Turcas, ut Judæi, alii Germanos,

Japheti nepotes ex Gomere (1.) Ascenas

(2.) Riphat

(3.) Thogarma.

manos, ut Paraphrastes Chaldæus, Vilalpandus, Chytræus: Nam abjecto ת fit Germanus: Certum est fuisse populum septentrionalem Gomeritis vicinum. Nam Ezech. XXXVIII. 6. conjunguntur, & laudantur latera Aquilonis. Chytræus facit Cimmeriis & Moschis vicinos. Eruditissimus Bochartus lib. 3. Phaleg. cap. 11. Cappadocas facit, aliàs Trogmos dictos: Sicut ferè & Græci legunt: Θόγαρμα: vel Τόργαμα. Lutherus Tartaris annumerat. Nec refragamur.

Ex Javane (1.) Elisa. §. 18. Alter filiorum πολυτέκνων erat Javan, quatuor filiorum parens, id est, *Elisa*. q.d. *Dei mei agnus*: ex, אלי & שה agnus, pecus. Nomen dedit Elidi vetustissimæ in Peloponneso regioni. Nam Ezechiel. XXVII. 7. laudatur purpura Elisa; celebris autem quondam purpuræ piscatione erat Elis. Plin. libr. IX. c. 36. Æoles facit Josephus, Hieronymus, Procopius, Isidorus; Ampliorem fuisse regionem existimat Lutherus, secutus Hieronymum in c. 27. Ezech. Theodoretum, Polychronium, qui insulas maris Ægei & Jonii hoc nomine intelligunt. Pleraque certè litora conchis abundabant, unde purpuræ tingebantur: notante Boch. in Phal. lib. 3. c. 4. Elisios campos hinc creant Beroaldus, Merula, Pererio ferè consentiente. Insulas quoque Italiæ complectuntur Paraphrastes Chaldæus, Beroaldus, & Merula. Nostra sententia insulæ Græciæ

(2.) Tharsis. & Asiæ minoris vicinæ intelliguntur. (2.) Est *Tharsis*. Videtur esse à radice רשש vel רוש depauperari: q.d. depauperabitur. Ciliciam, cujus metropolis fuit Tarsus, huic sedem obtigisse censent Josephus, Hieronymus, Isidorus, Lipomannus, Lutherus, Chytræus, qui dicit hodie Tarassam ab incolis dici. Arias Montanus Carthaginem intelligit, quem refutat Salian. an. 1931. §. 25. Eusebio Hispania placet, quem sequitur Bochart. lib. 3. Phal. c. 7. Esse enim Hispaniam Phœnicum navigationibus & metallo admodum celebrem, quod de regione Tharsis scriptura laudat: Ezech. 27. 12. Consentire Tartessum celebrem in eadem provincia civitatem, quæ à Tharsis nomen accepisse videatur. At consentit etiam Tarassa Ciliciæ, laudante Chytræo: sed & Cilices navigationibus erant illustres, quare & ipsi metalla, sive apud se nata, sive aliunde empta poterant deferre Tyrum. Non displicet sententia Lutheri, accepta ex Hieronymo: cap. 2. Isai: Et laudata à Jesuita Saliano

an.

an. 1931. §. 36. vocabulo Tharsis appellari in genere maria, mediterraneum cumprimis, in quo mercimonia sua Tyrii tractarunt, & Carthaginenses, & Cilices, & reliqui maris accolæ. (3.) *Kitthim.* Juxta LXX. Κήτιοι: Chetimus Josepho dicitur. Derivant alii à כתת percussit, q. d. παίοντας, percussores; alii à כתם Arabica voce, quæ *latere* significat, ut obtineant per Kithim Latinos intelligi, qui olim Cetii dicebantur, & loca, ex hoc fonte derivata, appellarunt Cetiam, & Echetiam, & Cetum amnem: item urbem Cocinthum. q. d. terminum Cittæorum: Ita Boch. lib. 3. c 5. Confirmat sententiam ex Dan. XI. 29. 30. ubi naves ex Cittim supervenire Antiocho prædicuntur, quod impletum est Popilio Romanorum Duce: Ex Num. XXIV. 24. ubi naves ex parte Chittim venturæ dicuntur adversus Assyrios & Ebræos; Addit Ezech. XXVII. 6. quæ loca per Italiam ab interpretibus explicantur. Hæc confirmant Lutheri sententiam, ut & Chytræi. *Meo judicio*, inquit Lutherus, (Kitthim) *propriè Græcia est, cum vicinis litoribus Italiæ & Galliæ.* Et Chytræus: *Cethim est stirps gentis Macedoniæ & Latinæ.* Nec enim absurdum est eundem Alexandrum à Daniele dici Regem Javam & Chittim. Nec repugnat Romanorum quoque naves dici ex Chittim venisse, quia tum Domini erant Græcorum, vel socii, ut horum ope Antiochum aggrederentur. Assyria & Palæstina, Ebræorum sedes, expertæ sunt vim Macedonum quoque: imo si Ezechiel. 27. Corsica per Chittim intelligitur, apparet, non solum Italiam, sed vicinas quoque insulas & regiones, ut vult Lutherus, intelligi. Longius recedunt, qui intelligunt Cyprum, ut Josephus, Epiphanius, Hieronymus, Eustathius, Victor; Sicut & qui Chios malunt, aut Ciliciam; (4.) *Dodanim.* Alii legunt Rhodanim, prisca, ut putant, lectione. Nam & in genealogiis, Esdræ, & in Pentateuchi versione Samaritana sic legitur; Quare & Græci Rhodios interpretantur. Sic Boch. in Phaleg l. 3. c. 6. At nullum laudat codicem antiquum, ubi sic legerint: Versiones ad fontes sunt corrigendæ: non contra; Maneat igitur Dodanim. Derivari videtur à דוד dilectus. Terminatio pluralis est, significatio vero singularis an pluralis? Dissentiunt. Nos singularem præferimus cum Luthero, Chytræo, & aliis, quia Dodanim numeratur inter filios Javan; sicut igitur Elisa & Tharsis sunt individuæ personæ, ita etiam Chittim & Dodanim.

(3.) Kitthim.

(4.) Dodanim.

Caput tamen gentis fuit, cujus autem? Rhodanenses Gallos putat Gallus Bochartus; sed quia in fontibus est דודנים non רדנים, ideoque præferimus sententiam Lutheri, & Chytræi, qui Epirotas malunt, penes quos fuit templum Dodonæum, Columbis, forsan Noachicis, celebre. *Consentaneum est enim Dodanim nepotem Japhet, in ea Epiri ora sedem Ecclesiæ & Scholæ constituisse, in quâ vera de Deo doctrina ad posteros propagaretur. Hac extincta Diabolus suæ blasphemiæ & idololatriæ sedem ibi collocavit, ut semper in mundo fieri solet.* Chytr. Comm. in Gen. f. 294. Displicet sententia hæc Saliano Jesuitæ An. 1931. §. 39. 40. ratio, quia Epirus non est insula; divisæ autem sunt *Insulæ* inter posteros Javan. Gen. X. 5. Resp. Epirus insula quidem nō est, regio tamē maritima. cujus maris oras lambebant civitates, sicut in Insulis: ut patet ex ipso Hieronymo, quē Salianus allegavit: qui *pene omnes Insulas, & totius orbis* (Ergo etiam Epiri) *litora, terrasque mari vicinas*, ut est Epirus, *Græcis* accolis, ex Japheto scilicet & Javan oriundis, tribuit.

Fuerunt membra veræ Ecclesiæ.

§. 19. Atque hactenus filii & posteri Japhet, quos huc referre voluimus, quia putamus veræ Ecclesiæ membra fuisse. Magnificè de ipsis sentit B. Lutherus Enar. f. 159. *Hi*, inquiens, *filii Javan fuerunt maximi Reges, & sine dubio ab Avo Japhet rectè instituti in religione, ac sanctissimi viri, præsertim usque ad illud tempus, quo populus Judæorum certa lege à reliquis gentibus discretus est.* Et paulo post: *Hæc est posteritas Japhet, in qua sine dubio sanctissimi patres fuerunt, qui suam posteritatem & spiritualiter & corporaliter rectè gubernarunt, erectis altaribus in iis locis, in quibus habitarunt. Quia enim lex de cultu in certo loco nondum erat posita, liberum erat ubique sacrificare, sicut hodie, ubique orare liberum est.* Et in specie de Ascenas honorificè loquitur: *Majores fuerunt magni & præstantes viri, inter quos Ascenas noster singularis heros fuit, pietate insignis, & manu quoque promptus.* Hæc ille.

Sem: (1.) Nomen.

§. 20. *Sem* alter filiorum Noachi est, ex quo veræ Ecclesiæ membra illustria prodierunt. *Nomen* significat, quod esset illustris Sir. XLIX. 19. typus Messiæ, qui λόγος erat futurus, verbum Patris, per quod ad nos in ultimis temporibus loqueretur. Alii derivant à שום *ponere*, quod veluti immota radix esset positus, ex qua Messias nasceretur. Luther. enar. in Gen. f. 157. *An sit Melchi-*

Melchisedech? Affirmant Judæi, & Christiani plurimi. Nobis negativa placet, si conferamus elogia Melchisedechi cum Semo. Illius enim genealogia in sacris literis non recensetur; hujus autem recensetur; In illius lumbis non fuit Levi; sicut in hujus, secus periret oppositio Apostolica, qui Levi in lumbis Abrahæ, ex Semo descendentis, decimatum fuisse dicit; Melchisedech autem decimavit. E. Levi in lumbis Melchisedechi constitutus, si Sem hic esset, decimasset. Ebr. VII. 1. seqq. adeoque melior fuisset seipso. Ille ex Cananæis oriundus regnavit Hierosolymis, quæ tum Salem dicebantur; Hic vero Sem inter Cananæos non habitavit, nedum ut *χαναναίων δυνάστης* extiterit, ut de Melchisedecho loquitur Joseph. Bel. Jud. lib. 7. c. 18. quem sequuntur Hippolytus, Irenæus, Eusebius Cæsarensis, Emisenus, Apollinaris, Eustathius: teste Hieron. epist. 126. Ex Chronologia sumunt alii argumentum, ut Epiphanius, & Procopius, quasi Sem non attigerit tempora Abrahami, ut Melchisedechi; sed patet contrarium, nempe Semum attigisse ætatem Jacobi, nedum Abrahami. vide Salian. An. M. 2118. §. 18. seqq. Bochart. Phal. lib. 2. c. 1. Inter sententiæ contrariæ defensores est Boulduccus l. 2. Eccles. c. 10. Rationes (1.) ab utriusque perfectione. (2.) regia dignitate. (3.) ab auctoritate Patrum. Resp. 1. & 2. sunt affirmativæ meræ in 2. figura: ad 3. ipse Capucinus fatetur Patres ex Hebræorum traditionibus hausisse sententiam. Probabilior est hujus lib. 1. c. 1. conjectura, quod gentiles *Plutonem* dixerint Semum, & Ἅδην, & Typhona, quem Σμὺ vocabant Ægyptii. Male idololatras habebat Zelus Semi, quare ex odio in orcum ipsum detruserunt. Pretiosus tamen fuit in oculis Dei, qui ipsum ex mera gratia Japheto primogenito prætulit in benedictione spirituali, adeo ut hic velut appendicis loco & precario accederet ad tabernacula Semi. Adimplevit annum ætatis 600. intra quos genuit filios filiasque. Et sunt, in quibus est Lyser in Noach. p. 405. qui jure primogenituræ, concesso ipsi, assignant duplicem terræ portionem in Asia, & novo orbe. Id certum est, quod spiritus Sanctus de aliis velut in transcursu tantum loquatur, de Semi vero posteris ex professo. *Cum enim hoc sit institutum S. scripturæ, ut doceat nos veram religionem, & cognitionem Christi, in quo est salus nostra; intermittit descriptionem aliarum gentium, quæ descendunt à*

(2.) Cognomen.

Japhet & Cham, suscipit tantum describendam genealogiam Sem, quam etiam deducit usque ad Abrahamum, propterea, quod familia Sem electa sit à Deo, ex quâ orietur Abraham, de cujus familia descenderet Christus Dominus noster. Brent. ad Gen.XI. f.123.

(3.) Filii; ut (1.) Elam.

§. 21. Filios suos habuit Sem, in quibus est (1.) *Elam* עילם ab עלם,unde עלם adolescens: Primogenitus fuit,nominatur enim primo loco, nec apparet alia ratio,quam ordo nativitatis. Pater est Elamitarum, qui incolunt Elymaidem, inter Susiam & Mediam, teste Strabone. Hinc frequenter conjunguntur Elamitæ & Medi. Esai.XXI.2. Actor.II.9. Bellicosa fuit natio. Jer.XXXII. 24. suisque regibus inclyta. Gen.XIV.1. & civitate, metropoli nempe Elymaide. 1. Maccab. VI.2. Persas communiter interpretantur; Nam Dan.VIII.2. Susan locatur in provincia Elam, quam urbem ad Persiam nonnulli referunt. Ptolemæus ad ripam occidentalem fluminis Ulai locat Elymæos Persiæ populos. lib.VI. Geogr. c.3. Esai.XXI. excitat Elam & Medum. i. e. Cyrum, & Darium ad capiendam Babylonem: explicante Chytræo f.297.Magiæ studiosos fuisse, sunt, qui ex Actor.XIII.8. colligunt. Sed vocem ex Arabismo עאלם derivat Cl. Bochart. lib.2. phal. c.2. confer Hieron. in Jer.XXV. Abulens. in Gen.X.q.9.

(2) Assur.

(2.) *Assur.* Nomen accipit à felicitate. Stirps est Assyriorum, quorum quidem nomen tam latè olim patuit, quam ipsum ferè imperium,quod latissimum erat. Propie tamen est regio sita ab occasu inter Tigrim fluvium, à meridie Chaldæam, ab ortu Mediam, à septentrione Niphalem, quâ ab Armenia majore distinguitur. Metropolis ipsius fuit Ninive. Gen.X.11. Sic dicta à Nino Assuris filio. Solebant enim civitates à filiorum primogenitis appellare. Gen.IV.17. Sunt tamen, qui à Nimrodo exstructam censent. Putant enim pro אשור Gen.X.11. legendum esse לאשור in Assyriam: nempe Nimrodum in Assyriam fecisse impetum, regionem Semitarum eamque occupasse. Suasque ibi urbes potentissimas condidisse. Chytræ. Comm. in Gen. f.295. Bochart. lib.IV. c.12. Phal. Certe Xenophon Assurem facit nepotem Nimrodi, cognomine Ninum; Cedrenus autem filium ejusdem. f. 9. comp. hist. Chytræo & Bocharto subscribit Gerh. Comment. in Gen.X. p.257.258.

(3) Arphaxad.

(3) *Arphaxad.* Derivant vocem ex רפא sanare & כשר vel שדד vastavit. q. d. sanans vastitatem. Boul-

Boulduccus lib. 2. de Ecclesiaste leg. c. 2. putat dictum fuisse eundem à Methodio in revelationibus Jonithum, & secundum Cainanem esse, de quo adeo disceptant ad Lucam Interpretes. Suo hoc loco relinquimus: istud vero ex ipso Methodio Capucinus non probabit. Hic enim Methodius Jonithum vocat Noë filium, non Semi: Excipit Boulduccus. Filii nomen pro nepote sumi, ut alias. At N.C. filius sumitur alicubi pro nepote, E. etiam hoc loco. Instat: Methodius dicit: *Secundum similitudinem ipsius, i.e. per Sem, qui est similitudo Noë.* Resp. Ergo cum Adam genuit Sethum secundum suam similitudinem, mediatè genuit per alium filium? nugæ! Addo: Fuit Arphaxad tertiogenitus filius Semi; Fuisset igitur Noë sextus, non quartus, si omnino & nepotes Noachi filiorum numero censerentur. Excipit Boulduccus, Arphaxadem esse Semi filium primogenitum. Resp. Unde constat? tertio certè loco ubivis locorum nominatur: nunquam primo, sicut Semus ipse ob dignitatem Messianam. Ejusdem farinæ est Etymologia ejusdem, dum derivat vocem ex רפא & כשד q.d. Dominus Chaldæorum. Neque enim רפא significat Dominum; neque כשד Chaldæos: Nam dicti sunt à כשד, qui filius fuit Nachor, fratris Abrahæ. Gen. XXII. 22. Probabilius est, quod D. Luth. enar. Gen. f. 163. conjicit ab Arphaxade dictum esse Arbacem Sardanapali victorem. Mittamus verba. Stirps fuit incolarum quorundam Assyriæ, qui Arphaxitidem insidebant; Sic enim Ptolemæo vocatur ista Assyriæ pars. Electus est à Deo præ primogenito Elam, ut esset stirps Messiæ, ex ipsius posteris, Abrahamo & Davide, proditur (4.) *Lud.* Derivant à ילד, q. d. natus. Bochartus tamen lib. 2. Phal. c. 11. ex lingua Phœnicum putat esse desumptam vocem, quâ significet flexuosum, ut apud Hebræos לוז; sic autem dictam esse Lydiam à flexuoso Mæandri fluxu, & Ludim Æthiopiæ, Nilo distinctæ, cives. A Lud igitur sunt Lydii Asiæ populi distincti ab illis Africanis Lydis, de quibus Gen. X. 13. vide Lyser. in Noacho. p. 406. (5.) *Aram.* à sublimitate nomen habet. Distinguendus est ab Aram, qui filius Camuel dicitur Gen. XX. 22. juxta Græcum & vulgatum interpretes. Caput fuit Syrorum, quorum metropolis fuit Damascus, Jes. VII. 8. nomen autem varium, pro diversitate Epithetorum; Dicitur enim Aram Soba, Aram Dammeseck, A- (4.) Lud. (5.) Aram.

Aram Bethrehob, Aram Maacha, Aram Neharaim, quæ est Mesopotamia, inter duos fluvios Tigrim & Euphratem sita: Aram Padan.

(4.) *Nepotes* ex Arphaxad, Sala. An Cainan?

§. 22. *Nepotes* ex duobus filiis Semus vidit; Nempe ex Arphaxade & Aramo. *Arphaxadis* stirps ad pronepotes & horum posteros extenditur, ut appareat linea Messiana. Sic autem se invicem consequuntur. Ab Arphaxade natus est *Sala*. Gen. X. 24. XI. 12. Controversia hic prius expedienda est, quam peperit Cainan, interpositus inter Arphaxadem & Salam Luc. III. 36. Irrepsit ille ex versione LXX. interpretum in *quædam* Lucæ exemplaria; Non enim omnia eam habent. vide D. Glass. Philol. sacr. lib. 1. tract. 1. §. IV. p. 48. & tract. 2. p. 164. seqq. Dn. D. Calov. Crit. sacr. p. 754. Jacobum Usserium in peculiari diatribe de Kainan. Manet igitur immediatus Arphaxadis filius Sala. Nomen accepit à missione, quod esset missus ad docendum, juxta B. Walther. in officina biblica. Incerta traditio est Cedreni in comp. hist. f. 10. qui inter Arphaxadis filios numerat quendam Indorum Apostolum Andubarium, qui ipsos Astronomiam docuerit. Non puto sanctissimos ejus ævi homines adeo solicitos fuisse de Astronomia docenda, ut plerumque de illis fabulantur, sed potius de doctrina divinitus accepta. Revertimur igitur ad Salam. An ex hoc prodierint Salaceni Indiæ populi, quorum meminit Ptolem. tab. 11. Asiæ. Affirmat Salian. An. M. 1831. §. 38. Addit ex Plinio gentem Asiæ, quam Salæ dixerunt. Rectius alii nomen ex ipso accepisse putant Selam, Susianæ urbem. Ex hoc prodiit *Eber*. Qui nomen accepit ab עבר transitu.

Eber.

Hujus enim tempore accidit, ut Nimrod ex meridionali plaga irrueret in Orientem, & piam posteritatem inde ejiceret; Itaque boni Patriarchæ mutarunt sedes. Luther. enar. f. 163. confer Torniel. An. M. 1754. & 1931. §. 4. Et quæ superius dicta sunt. Eberis filius fuit Peleg, & hujus frater Jaketan. *Peleg* nomen accepit à פלג *dividendo*, quod mundus esset divisus in suas distinctas linguas. Disputant: An eo ipso tempore, quo natus fuit Peleg; num vero prius ita sit dictus? Controversiam inferius expediemus, Deo volente. Non legitur gentem condidisse, nisi quod in Hebræis numeretur: *Phaleg propterea commemoratus est, non quod gentem fecerit, sed eadem ipsa est ejus gens Hebræa, eademque lingua, sed pro-*

Peleg.

propter tempus insigne, quod in diebus ejus terra divisa est. Aug. C. D. lib. XVI c 11. Eusebius tamen in Chron. putat Bactros ex ipso ortum cepisse: Salian. an. 1931. §. 100. censet Philistæos ex ipso nomen habere: At nec Etymon פלשתים respondet; nec locus. Sunt enim Philistini Cananææ populi, de posteris Canaan Gen. X. 14. *Jaketan* dictus est à קטן parvus fuit. Exprimitur Jectan, & Joctan. Ubi habitaverit? controversum est inter veteres & recentiores. Isti ipsum cum posteris locant juxta Cephenem fluvium Indiæ, in vicinia Seriæ, juxta Eusebium, vel Jeriæ, secundum Hieronymum, secutos Josephum, vide Salian. an. 1931. §. 101. qui ad Indos usque in novo orbo processisse putat. Recentiores, & in illis præcipuus Bochartus Arabiæ felici ipsum cum filiis suis adscribunt. lib. 2. Phal. c. 15. Probat ex scriptoribus Arabibus, qui ipsum Cathanem vocant, & linguæ Arabicæ repertorem celebrant: Nec non ex Christianis quibusdam: item ex populo, Cathanitæ dicto, item civitate *Baisat Jectan.* His argumentis nobis eandem persuasit sententiam. De filiis hujus Jectanis paulo post dicemus. Philo in antiqq. Biblicis ducem ipsum facit Semitarum: quem vide. Redimus ad Peleg. Hujus filius fuit *Regu.* Gen. XI. 20. dictus à רעה pascere: vel socium esse. Latini & Græci vocant Ragau, vel Ragan. Altum de hoc silentium est in historia sacra. Celebratur tamen Judit. I. 6. campus Rhagau, in quo Nebucadnezar cum Arphaxade conflixit. Fuit autem campus iste circa Euphratem & Tigrim. Ejusdem nominis Rages civitas est Mediæ. An vero ex hoc Ragau nostro nomen acceperit? incertum est. Id verò minus probabile est, quod Epiphanius in epist. ad Acac & Paulum: de Phaleg & Regu scribit, venisse in Europam, & cum Scythis ac Thracibus, à sese conditis, in unum corpus coaluisse. Historia enim sacra in Assyria potius, Chaldæa, & Mesopotamia mansisse innuit. Regu filius fuit *Serug.* Gen. XI, 21. à שרג perplexum esse. Forsan quod Ecclesia in summis angustiis versaretur, cum hic nasceretur: Scribit autem Epiphanius init. Panar. *Phaleg genuit Rhagam, Ragam Serug, quem interpretari possis irritationem. Et incepit idololatria inter homines, ac Græcismus, veluti cognitio, quæ ad nos devenit, habet. Nondum autem in statuis, & in sculpturis lapidum, aut lignorum, aut ex argento & auro, aut ex alia materia factis, sed solum per colores, & imagines*

Jaketan.

Regu.

Serug.

gines hominis mens in seipsa malitiam excogitavit ; & per liberum arbitrium, rationisque ac mentis vim pro bonitate iniquitatem recepit. Hæc ille. Hausit ex Philone, apud quem legitur : ὅτι ἤρξατο ἡ εἰδωλολατρεία ἀπὸ Σερὺχ, *quod cœperit idololatria à Serucho.* Auctore, an contemporaneo tantum ? Auctorem fuisse negat Genebrardus in Chronologia, eo quod Noe & Sem adhuc viventes non permissuri id fuissent. At degenerant etiam Heroum filii, nec à parentibus, vel majoribus abstrahi sese patiuntur semper, ut videre est ex turri Babylonica, quâ exstructa Noe etiam adhuc vivebat. Hoc igitur non obstat, quo minus in idololatriam degenerare potuerit nepos Serug. vide Comentatores ad Jos. XXIV. 2. Selden. de Diis Syr. Syntag. c. 3. Serugo natus est filius *Nahor.* Gen. XI. 24. Vertunt: Requies lucis. Alias à נחר est נחירים nares, & נחר ronchus: Alii à חרר derivant. q. d. raucum, vel aridum, *quod arborum instar arefactæ essent virtutes,* explicante Pelargo Idololatra enim videtur fuisse. Nam Laban idololatra invocat Deum Nachor Gen XXXI. 53. oppositum Deo Abrahami, i. e. vero. Alii iratum: Idem nominis fuit nepotis ex filio Thare suscepti, quod ad evitandam homonymiam est observandum. *Pater Chaldæorum à quibusdam dicitur, nempe, quia illic perpetuo mansit, neque trajecit fluvium ad quærendas novas sedes, mirèque auxit familiam Atavi Arphaxad.* Hæc Genebrardus, citante, & refutante Saliano an. m. 2027. §. 1. Refutandus ipse, quod Cainanem intrudit, à Genebrardo merito omissum. Ex Nachor genitus est filius *Thara.* Respirans vertitur ; ab Hieronymo abactor, & depulsor ; Atque illud ideo, *quod prophetico spiritu levationis & respirationis aliquid tunc affulgebat.* Censente Pelargo. Male audit ob idola fabrefacta apud Epiphanium ab initio panarii : qui insuper scribit, Haran, filium ipsius, ejus sceleris gratia ante patrem, insolito exemplo hactenus, mortuum esse. Sed errat, quod *insolito* dicit exemplo. Nam Lamech quinquennio ante suum parentem Mathusalem mortuus est : Computante Bucholz. Chron. p. 115. Certe idolis servivit, teste Josua XXIV. 21. & fatente Aug. C. D. lib. XVI. c. 12. Prometheo alias εἰδωλοποίησιν tribuunt, apud Lactant. de orig. error. c. 11. Omitto traditiones cæteras apud Lyr. in not. ad Gen. XI. Et Abulens. ad l. c. quas recitant de insano Tharæ amore erga idola, & odio

Nahor.

Thara.

odio in Abrahamum, quem ista colere negantem, apud Nimrodum accusarit, ut in ignem conjiceretur. Hausta hæc sunt ex mala interpretatione Ur Chaldæorum; Ur enim nomen est urbis, non ignis, etsi ab igne denominatæ, quasi ex igne evaserit Abraham, cum ex Ur Chaldæorum egrederetur. Fuerunt autem Tharæ filii tres Abram, Nahor & Haran, de quibus in Ecclesia Abrahamica, Deo volente, dicemus. *Filios Filiasque* à singulis præterea genitos genitasque, utpote ἀνωνύμους, omittimus. vide Philonem in antiquitatibus Biblicis.

§. 23. Hactenus posteri Arphaxadis. Sequuntur geniti ex Aramo, Semi filio, & Arphaxadis fratre. Filii Semi dicuntur 1.Par.1.17. Eorum sunt quatuor, nempe (1.) *Utz*, Gen.X.23. à *consilio* nomen accepit, Judic.XIX.30. sunt alii duo ejusdem nominis; alter filius Nachor, fratris Abrahæ Gen.XXII.21. unde Ausitis regio Job. I.1. Alter ex posteris Edom Gen.XXXVI.28. hinc Idumæa dicta est terra *Utz*. Thren.IV.21. Noster vero ille Arami filius Damascum condidisse creditur, quæ ab Arabibus עוץ appellatur. vide Boch. lib.2. Phal. c.8. (2.) *Hul*. Dolens, parturiens, vertitur. Josephus Οὖλος reddit. Derivant ex hoc, Hieronymus Armenios, Arias Montanus autem Æolios; Hieronymi sententiæ accedimus. Nam pars Armeniæ dicebatur χολοβηθηνή. q.d. בית חול *domus Chul*. Et consonant Armeniæ urbes Cholus, Cholvata, Cholimma, Colsa, Colana. Ariæ sententia non quadrat Æoliis, qui à Javane descendunt. Salian. an. m.1931. §.94. (3.) *Gether*. Vertit Chytræus: Mola, vallis explorationis. Josephus facit ipsum patrem Bactrianorum, Hieronymus Acarnaniorum, qui erant populus Epiri; Arias Montanus Ætoliorum, Mercerus Acarnanum, Carum, & Bactrianorum, Chytræus Gothorum: Bochartus populorum juxta fluvium Getri, qui fuit inter Carduchos & Armenos. In re incerta nihil definimus. Propius tamen vero accedere videtur sententia Josephi, quam amplectitur Salian. an. 1931. §.35. Et Bocharti lib.2. Phal. c.10. (4.) *Mesech*. Contrectans, tangens, vel recedens, discedens, à מוש discedere, contrectare. Septuaginta, Eusebius, Chronicon Alexandrinum vertunt Mosoch: forsan ex 1.Paral. I.17. ubi legitur מֶשֶׁךְ Masech. Josephus Mesanum appellat: & inde derivat Mesanæos populum. Hieronymus Mæones, Arias

Ex *Aramo*. 1. Utz. 2. Hul. 3. Gether. 4. Mesech.

K Mon-

Montanus Misas, Chytræus Massagetas: Bochartus Masios in Mesopotamia ad montem Masium, subscribens Josepho, cujus Mesanæi sunt incolæ Mesenæ, i.e. Mesopotamiæ, inter Tigrim & Euphratem sitæ; Est autem circa istius Tigridis ostia castrum Pasini, à Josepho laudatum, vide Salian. an. 1931. §. 96. Boch. l. 2. Phal. c. 11.

Jaketanis Filii. (1.) Almodad. §. 24. Supersunt Eberis ex filio Jaketan πολυτέκνῳ nepotes. Tredecim enim genuit filios, totidem gentium conditores. De parente Jectan §. 22. dictum est. Sequuntur filii. (1.) *Almodad.* Gen. X. 26. vertitur, *non abjiciens.* Themeotas ex ipso derivat Arias Montanus, populum in Sarmatia Asiatica habitantem. Sed nullo fundamento. Quærenda est huic, sicut & cæteris filiis Jectanis, sedes in Arabia. Hic enim deprehendimus Almodæos gentem in Arabiæ meditullio sitam, teste Ptolemæo. Paraphrastes Chaldæus dicit funibus hunc mensurasse terram, respiciens ad nomen מודד *mensurans.*

(2.) Saleph. Hujus frater fuit (2.) *Saleph à* שלף *educendo*, quasi ex fluminibus aquam deduxerit Salephus. Parens fuit Salapenorum ad fauces Arabiæ, quos Alapenos vocat Ptolemæus in tabulis.

(3.) Hazarmaveth. (3.) *Hazarmaveth:* Castellum mortis. Auctor fuit Adramitarum, populi inter Arabas notissimi, quorum celebris fuit urbs Hadramauth dicta, aloë nobilis. Sic autem dictus est locus à thure, cujus in isto loco ea vis est, ut thurilegis mortem inferat. Hinc vallis dicta est mortis. Boch. lib. 2. Phal. c. 17.

(4.) Jara. (4.) *Jara* de *Luna* nomen habet, & ex ipso Jerachæi, dicti & Alilæi, populus ad mare rubrum, sic appellatus apud Arabas, à nova luna, quam colebant, q.d. Σεληνίτας, בני ירח filios Lunæ, ut hodie, reliquiæ ipsorum, filii Hilal, sive Lunæ nominantur.

(5.) Hadoram. (5.) *Hadoram.* Chytræus vertit: ætas eorum. Plinius lib. VI. 28. videtur vocare eosdem Drimatos. Sunt autem Drimati populus in extremo Arabiæ angulo locatus, seu ad fretum sinus Persici. Certè Corodamum Arabiæ promontorium non procul abludit ab Hadoram.

(6.) Uzal. (6.) *Uzal.* Epulo, helluo. Nomen dedit Uzali, quæ metropolis est regni Sabæ, alias Sanna dictæ. Meminit ejusdem Ezech. XXVII, 19. quod ex Uzal venerint ad nundinas Tyrias.

(7.) Dikela. (7.) *Dikela.* Vel Decla. Sic Syris & Chaldæis dicitur palma, aut palmetum: ut hinc ea Arabiæ pars, quæ palmeto nobilis est, videatur nuncupata: ἐκ τοῦ ὀνομά-

ὀνομάζεται μὲν φοινικὼν; ἔχει δὲ πλῆθος τούτου τοῦ φυτοῦ πολύκαρπον καθ' ὑπερβολὴν, καὶ πρὸς ἀπόλαυσιν καὶ διατροφὴν διάφορον. i. e. *Phœnicon appellatur à palmarum multitudine, quæ tam ad oblectationem, quam ad cibum plurimum præstant* Sic Diodorus de aditu Arabiæ felicis. Et Plinius in Arabia laudat Minæos, quod habeant *agros fertiles palmetis arbustisque:* lib. VI. c.28. (8.) *Obal.* Arabice *Aubal*; Explicatur crassus, densus, ab עבה densum esse. Videtur transmisso Arabiæ felicis freto nomen dedisse Abaliti *Insulæ Diodori*, sicut appellatur Plin. lib.VI.c.29. Est & sinus sic dictus ad dextrum rubri maris latus, juxta Stephanum. Vocabant olim Troglodyticam, regionem ebore, testudine, myrrha omnium præstantissima, macere, casia, cinnamomo, aliisque aromatibus celebratissimam, quod ex Arriano, Dioscoride, Plinio, aliisque discas. (9.) *Abimael.* q. d. אבי־מעל pater meus prævaricatus est. Alii legunt: אבימאל Pater meus fortis fuit: aut: Pater Maëlis, seu Malitarum, qualis compositio occurrit 1.Chron.IV.3. Mali est inter præstantissimas Arabiæ felicis partes, aromatibus inclyta: De quibus Theophr. lib. IX. hist. Plant. c.4. scribit: *Nascitur thus, & myrrha, & casia, adeoque & cinnamomum in Arabum Peninsula circa Saba, & Adramyta, & Litibana, & Mali:* Innuens Arabiam aromatiferam tum fuisse in quatuor præcipuas partes divisam, quarum una fuerit Malitarum, à Mali descendentem. (10.) *Seba.* שבא à שבה duxit, aut Arabico שבי, quod est eminere: Syris & Chaldæis שבא: Eminebant enim isti Arabes situ urbis Sabæ, monti impositæ, & proceritate corporis. Homonyma est vox. Nam quatuor hujus nominis occurrunt, nempe filius Chus. Gen.X.7. Sed scribitur per ס; nempe סבא; Filius Regma. vers.7. Filius Jectan. v.28. Et filius Joksan, nepos Abrahæ. Gen. XXV. 3. omnes scribuntur per ש Schin. Noster ille, Jectanis filius, reliquis suis fratribus conterminus, consedit in Arabiæ utroque latere: *Sabæi,* inquit Plinius, *propter thura clarissimi, ad utraque maria porrectis gentibus.* Adeoque occupavit εὐδαιμονεστάτην *felicissimam*, ut Straboni dicitur, Arabiæ partem, nempe hominum copia, aromatibus, situ, auro, & gemmis. (11.) *Ophir.* ab עפר pulvis, seu arenæ, *in quibus, ut in tribu Issaschar, thesauri auri absconditi fuerunt.* Juxta Chytr. f. 299. Lingua Arabica וכר est abundare, quod vicinum est verbo הון divitem esse, unde

(8.) Obal.

(9.) Abimael.

(10.) Seba.

(11.) Ophir.

unde derivantur Chassanitæ Arabum ditissimi, ob auri copiam & præstantiam, quæ est in ista Arabiæ parte. Boch. lib. 2. Phal. c.27. Est autem duplex Oph ir, Arabica, & Indica. In hanc navigia sua misit Salomon, in ista consedit Ophir Jectanis filius, & celebris regio fuit, jam ante Salomonem, auro optimo Job. XXII. 24. XXVIII. 16. 1. Chron. XXIX. 4.
(12.) Hevila. (12.) *Hevila* à חוה judicare. Duo fuerunt hujus nominis, nimirum filius Chusi Gen. X. 7. & filius Jectanis. v. 29. Hic inter Arabes locum occupavit, nempe terram Chaulan, cujus est metropolis nomine Du-Sohaim vel Chaulan Du-Sohain, inter Meccham & Sanaam sita. Dicebantur incolæ alio nomine Carbi & Cerbani, Arabum bellicosissimi.
(13.) Jobab. (13.) *Jobab.* Ab ejulatu יבב dictus: Arabes sic vocant desertum & solitudinem. Ab hoc nomen habent Jobabitæ, ut vocat Ptolomæus, populus Arabiæ solitudines insidens, juxta Sachalitas ad latus maris Indici habitantes. Vide tabulam dispersionis Bocharti. Hactenus filii Jectanis.

Jectaneorum *Termini.* §. 24. *Termini* horum hominum & populorum Gen. X. 30. exprimuntur Mesa, & Sephar mons. Mesa alio nomine dicitur Masa, vel Muza, & est celeberrimus Arabiæ aromatiferæ portus, apud Plin. lib. VI. c. 23. *Est & tertius portus, qui vocatur Muza, quem indica navigatio non petit, nec nisi thuris odorumque Arabicorum mercatores. Intus oppida, regia ejus appellatur Saphar, aliudque Save.* Hæc ille, quæ locum nostrum haud obscurè explicant. Meminit enim Mesæ, seu Musæ, qui est in mari rubro portus, & civitatis Saphar, quæ Musæ orientalis est, sita ad montes Saphar, quorum continua juga Climax appellantur. *Proinde cum Moses Jectaneos dicit habitare à Mesa vel Musa, quá viá itur Sapharam; idem est, ac si habitare scripsisset in Arabia odorata, in qua Ægyptii & Æthiopes, aromata comparaturi, hæc duo loca maximè noverant & frequentabant, Musam portum, in quem appellebant, & montana Sapharitarum, ubi urbs erat regia.* Verba sunt doctissimi Galli, Samuelis Bocharti lib. 2. Phal. c. 30. Quibus enarrationem filiorum & posterorum Semi obsignamus.
Usus. *Usus* illustris est adversus insanum Præadamitam, qui Judæos, aut Hebræos esse vult, quidquid hominum ab Adamo & Noacho descendit. Nam cum Noah tres habuerit filios, adeoque non Semum tantum, à quo Eber, & ex hoc Ebræi, i.e. Judæi descendunt; sed etiam Japhetum, & Chamum, qui & ipsi suos habuerunt filios filiasque & po-

& posteros reliquos, manifestum est reliquos etiam homines ex Adamo & Noacho prodiisse. Vide Schotan. de 1. mundi ætat, f. 168.

§. 25. *Quæris*, casu an Consilio singuli auctores, singulæque gentes istas terræ partes & tractus occuparint? Videtur forsan quod casu, cum post confusionem Babelicam alius hanc, alius istam, alius illam terræ partem, prout incidebat, suam fecerit. Etiamsi autem non negemus quorundam, Chamitarum cumprimis, eam fuisse indolem, ut, quæ sibi essent adjudicatæ, vel negligerent, vel transgrederentur, aliorum ditiones involantes, tamen dubium non est, fuisse plerosque Japhetitas & Semitas sua quemque sorte contentos, & occupasse, quas Deus & superiores occupari præscripsissent. Deut. XXXII. 8. Deus dicitur, ut dispersisse, sic terminis quoque suis circumscripsisse populos. Actor. XVII. 26. Deus à Paulo laudatur, ὁρίσας προτεταγμένους καιροὺς, καὶ τὰς ὁροθεσίας τῆς κατοικίας αὐτῶν *definivisse praeordinata tempora, & limites habitationis*, nempe humani generis, quod fecisset κατοικεῖν ἐπὶ πᾶν τὸ πρόσωπον τῆς γῆς, *habitare super omnem faciem terræ.* Hinc apparet, quod Deus ipse, forsan per Noachum, singulis gentibus suos limites fixerit; Epiphanius in Anchorato scribit, *sorte* fuisse divisam terram, scilicet divinitus directa; vide Torniel. an. m. 1909. §. 2. Cedrenus comp. hist. f. 10. dicit Noachum μετὰ θεῖον δηλονότι χρησμὸν *divino monitum oraculo* inter filios terram distribuisse. Accedit alia ratio sumpta à nativitate. Nam primogenitis cedebat duplex portio paternæ hæreditatis; fuit autem Japhet primogenitus, ut supra §. 6. est ostensum. Quare duplo majorem terræ partem accepisse videtur. Fuller. lib. 2. misc. sacr. c. 4. Josephus nobis non obest. Verba ejus hæc sunt: *Quo quemque sors & Deus tulit, eam terram cum suis occupavit, ut tam maritima, quam mediterranea cultoribus replerentur. Nec defuerunt, qui conscensis navibus ad insulas habitandas trajicerent.* Hunc locum objicit Schotanus de 2. mundi æt. f. 5. ut probet, casu occupasse terram. At si occuparunt, ut *Deus & sors* voluerunt. E. non casu, sed singulari Dei directione.

Distributio casu an Consilio facta?

§. 26. *Adjuncta* hominum sunt (1.) *Vita*, ejusque servandæ media. Videmus, proh dolor! arctiorem fuisse vitæ post diluvium terminos, quam fuerunt ante. Nam Sem vixit anno 600: Arpha-

III. *Adjuncta* (1.) Vita.

Arphaxad 430. Sala 433. Eber 464. Peleg 239. Regu totidem; Serug 230. Nahor 138. Thara 205. Plures quidem annos numerant LXX. interpretes: quos defendere allaborat Isaacus Vossius de vera mundi ætate: sed refutatus merito à suismet Reformatis Christiano Schotano de 1. mund. ætat. f. 174. Quæris, quæ fuerit *caussa*? Sunt, qui putant Deum esse, qui breviorem fecerit vitæ humanæ terminum, nempe 120. annorum Gen. VI. 3. Ita liber Enocho affictus, citante Jos. Scaligero in Græcis fragmentis; & ex ipso interprete Christiano Schotano in Bibl. sancta. f. 86. seqq. Joseph. lib. 1. c. 7. antiqq. Judaic. Lactant. lib. 1. instit. Rupert. lib. IV. in Gen. c. 13. aliique. Nam etiam ad exteros emanavit. Sic enim Trebellius Pollio in Claudio. *Doctissimi Mathematicorum 120. annos homini ad vivendum datos judicant. Neque amplius cuiquam jactitant esse concessum: Etiam illud addentes, Mosen solum, Dei, ut Judæorum libri loquuntur, familiarem 120. annos vixisse; qui, cum quereretur, quod juvenis interiret, responsum ei ferunt ab incerto numine* (sic vocabant gentiles Deum Judæorum) *neminem plus esse victurum.* Cæterum non quidem negamus, Deum esse caussam, ut vitæ humanæ, sic & termini, sive latioris sive contractioris; fatemur & illud, quod post primam illam pœnitentiæ denunciationem Gen. VI. 3. homines non ultra annos 120. vivere debuerint, nisi pœnitentes, utpote diluvio cæteros extinguente: Negamus tamen illum fuisse terminum fatalem & fixum omnium post diluvium futurorum. Contrarium enim vel ex solis enumeratorum modo Patriarcharum annis patet, qui omnes annum 120. ætatis longè longius transgressi sunt. Quare anni, *pœnitentiæ* concessi, non sunt confundendi cum annis *vitæ* ordinariis. Vide Hieron. t. 4. opp. quæst. in Gen. August. q. 23. in Gen. Et lib. XV. C. D. c. 24. Eucher. Comm. in Gen. c. 37. Vivem ad l. c. Rabbinos apud Schotanum l. c. f. 94. Bissel. ruin. dec. 1. p. 300. *Alias* igitur caussas quæramus. Sunt aliæ *Theologicæ*, aliæ *Physicæ*. Illæ sunt peccata, quæ iram Dei provocant, ut ante tempus hominibus vitam adimat. Ps. XC. 8. Hæ sunt variæ. Inter primas est debilitas terræ, maledictione divina aliquoties jam percussæ, lapso Adamo, occiso Abele, & diluvio inducto. Dubium non est, vim aquarum superficiem terræ, i. e. meliorem

liorem ejus partem abrasisse. Duos palmos computat Abulensis com. in Gen.X. adde salsedinem aquarum exundantium, quæ sterilitatem acrimonia sua & calore agris inducit. Hinc factum est, ut fructus terræ non eâdem, quâ prius, bonitate provenirent, nec pari efficacitate hominem nutrirent. Sed nec aëris eadem salubritas videtur mansisse, tot procellis, & nimbis turbantibus, & vaporibus ex corrupta terra, & cadaverum reliquiis exhalantibus, & in aëre receptis. Accedebant calamitates temporum, grassante Nimrodo, & homines opprimente, imprimis Ecclesiam persequente: Curis igitur, molestiis, & laboribus exhausti homines maturius decedebant. Nec negaverim, hominibus in luxuriam degenerantibus vires fuisse fractas; ut amplius non superviverent, Deo saltem impietatem ipsorum sic vindicante. Comminatur ille filiis immorigeris, ut erat Cham, breviorem vitæ terminum; Et fuerunt plurimi, qui degenerarent, quod apparet ex structoribus turris Babelicæ. Hoc enim præter & contra voluntatem Noachi, Japheti, Semi, factum esse, non puto esse dubitandum. *Statura* hominum, an post diluvium minor, quam ante diluvium? Affirmant quidam, moti rationibus, quas producit Estius ad Gen. VI.41. Sed negativa nobis placet. Ratio, quod Moses de cubito, ante diluvium usurpato, loquatur juxta mensuram suo ævo receptam. Fuerunt igitur & homines, ad quorum mensuram cubitus comparatur, eadem statura.

§. 27. (2.) *Victus.* Consistit in cibo & in potu. *Cibus* erat ex carne & oleribus. Gen. 9, 3. *An primum hoc ævo licentia edendæ carnis sit data hominibus?* Disputant: Nobis negativa placet post D.Gesner. disp. in c.9. Gen. q.6. p.218. Dn. D. Dannhaw. Colleg. decal. Ita tamen, ut contrariam sententiam non morosè improbemus; sed liberam cuique sententiam relinquamus, cum Dn.D. Calov. ad Gen. 9. Grot. confer Schotan. de 2. Mundi ætat. f. 20. cujus hæc est sententia: ante lapsum solis oleribus & herbis usos esse homines in cibo; post lapsum concessas esse carnes mundas; post diluvium רמש bestias quoque repentes humi. Confer Eccles. antediluv. part.1. §.28. p.40 seqq. Licuit autem vesci quavis carne sive bipedum, sive quadrupedum, sive cicurum, sive ferarum, sive volatilium, sive reptilium, sive gressilium, sive volatilium. (2.) *Victus* ut cibus.

Nam

Nam כל *omnem* carnem permisit Deus, Gen. 9,3. *Exceptionem* tamen ipse addidit: abstinete à carne, suo adhuc in sanguine vivente, v.4. Sicut enim, quæ Chrysostomi est observatio, Deus, concessis reliquis cibis, à sola arbore scientiæ boni & mali voluit abstineri, ut dominium ipsius supereminens agnoscerent homines; ita post lapsum concessis reliquis in cibum, carnem crudam noluit Deus gustari, ut intelligerent, se non esse absolutos rerum Dominos, sed Deum, leges ferentem. homil. 27. in Gen. Variè explicant interdictum, alii de suffocato, alii de cruditate. Nobis placet sententia B. Luth. in Gen. enar. f. 144. *Prohibet Dominus hoc in loco id corpus comedi, quod habet adhuc agitantem, moventem, & viventem animam, sicut milvus pullos gallinarum, lupus oves vorat, non mactatas antea, sed vivas.* Finis erat reprimere crudelitatem, alioquin futuram, si homines crudæ carni & sanguini assuescerent: imò juxta quosdam, subindicare reverentiam sanguinis Christi, aliquando fundendi. *An & ab alia, quam cruda carne, debuerint abstinere?* quæri posset. Muhammedani affirmant; negantes carne suilla licuisse vesci. Fabulam eo de interdicto ridiculam & pudendam narrant apud Bibliand. in Sarac. p. 265. Olear. itin. Persic. f. 568. Nobis ex alia ratione affirmativa placet, nempe ex fine ciborum, qui est fovere vitam humanam. Illa igitur carne, sicut & oleribus illis, quæ noxia erant homini, vel humoribus suis pravis, vel cruditate, vel veneno, aut alia quavis ratione, iis negamus licuisse vesci. Si enim ideo abstinendum erat à cruda carne & sanguine, quod *sanguis sit difficilioris concoctionis, & caro, adhuc ex vita & sanguine calens, & tepida, non sit salutaris, nisi prius frigore maceretur*, ut Lyserus in Noach. p. 208. rationes allegat, Ergò quicunque denique cibus sanitati hominis officiebat, in vetitis erat, saltem tacito interdicto. Ille ipse Deus, qui noluit hominem occidi, Gen. 9.5.6. noluit etiam media ista, quibus sanitati & vitæ humanæ noceretur. Vide disputantem contra Tryphonem Judæum Justin. p. m. 183. *An præceptum sit carnes edere?* Movent quæstionem Pontificii adversus orthodoxos, quasi affirmaremus in disputatione contra interdictum edendæ carnis. Sic enim contra nos disputat quidam Caponus expl. Cath. 13. §. 1. Non dicimus ita nudè & crude præceptum istud esse, nisi tum, cum sanitati hominis carnis esum, vel utilem, vel necessarium

rium esse viderimus; extra hunc casum *libertatem* adversus superstitionem & tyrannidem Papæ, carnis esum vetantis, & quorundam monachorum σαρκοφάγων studiosè urgemus. Premimus hac in parte vestigia purioris Ecclesiæ primitivæ. Maturè superstitio ista irrepsit, ut essent sanctuli, qui sub specie continentiæ & jejuniorum à carnibus sese abstinebant, alio nimirum prætextu usi, quam crudi isti hæretici, qui carnem & sanguinem à Dæmone, & immundos esse cibos furebant; Istis sese opposuerunt Orthodoxæ Ecclesiæ & Patrés primitivi. Certè Ignatius adversus adversarios istos urget locum Gen. IX. 3. & Tertullian. Montanista ψυχικῶν, sic enim vocabat orthodoxos, argumentum ex isto loco non dissimulat, c. 4. de jejun. Cum enim Montanistæ à carnibus, & his certo anni tempore abstinerent, Orthodoxi urgebant permissionem divinam; *Nam*, regerebant, *& hoc ipso, quod eam solam carnem esui eximit, cujus anima non per sanguinem effunditur; omnis reliquæ carnis usum concessisse manifestum est.* Hæc illi. Imo quidam orthodoxorum Patrum eo progressi sunt, ut *mandatum* fuisse usum asseruerint. Ambrosius de Noe & arc. c. 25. refutat affirmantes majorem olerum, quam carnis usum, rationes allegat, quod (1.) nec omnibus liceat vesci oleribus, ut sunt πικρὰ, ἢ θανάσιμα, ἢ ἀκανθώδη, *amara, lethifera, aut spinosa, quæ* explicatio est Justini dial. Tryph. f. 183. (2.) nec omnes à carnibus abstinendi donum habeant: (3.) Nec ideo, *quod generale præceptum est, ad portiunculam paucorum hominum derivare possimus.* Observa, *generale præceptum* vocat, cui paucorum hominũ, ut sunt superstitiosuli monachi, portiuncula derogare non possit. Theodoret. quæst. 53. in Gen. in eandem concedit sententiam. Nam Deus, scribit, τὸν περὶ τῆς κρεωφαγίας αὐτῷ δίδωσι νόμον, ὡς λαχάνων τῶν κρεῶν ἀπολαύειν κελεύσας, i. e. *dedit illi* (Noacho) *legem edendæ carnis, præcipiens carnibus vesci, quemadmodum & oleribus.* Habes ecce *legem* & *præceptum* edendæ carnis. Subest ratio legi non contemnenda, nempe infirmitas humani corporis nutriendi & fovendi. Scribit Rupertus Tuitiensis Abbas lib. IV. in Gen. c. 30. *Felici adhuc & infirmitatis experti homini tenuem illum victum magis sufficisse, quam infirmo nunc & moribundo carnium esus esse possit.* Quam sententiam ab ipsa experientia confirmat Jesuita Salianus an. m. 1657. §. 20. Si igitur caro post diluvium in tanta hominis infirmitate non cibus

tantum est, sed & quasi quoddam medicamentum adversus mortem, quid prohibet necessitatem nonnullam cum Patribus statuere edendæ carnis? & Pontificios, usum vel prohibentes, vel negligentes, agere reos vitii, in præceptum 5. decalogicum commissi?

Et potus. §. 28. *Potus* vini post lapsum fuit usitatus. Nam Noah plantata vinea bibit de fructu, & inebriatus est. Gen.IX.20. Senectute, curis, & laboribus Patriarcha iste erat fractus; Deus igitur vinum, lac senum, medicamenti & nutrimenti loco plantare docuit, & bibere uvis expressum. Quærit Ambrosius lib. de Noë & arca c.29. *qui sit, quod justus primum vineam plantat, & non aut triticum, aut hordeum*; scilicet necessarium præ voluptuario? Resp. forte dicas, *ita sine potu non posse homines vivere, quemadmodum etiam non sine cibo.* Chrysost. hom. 29. in Gen. rationem sumit à mœrore Noachi, quod ante omnia de vino cogitarit tristitiæ ergo pellendæ. Utrumque, licet Chrysostomum tectius, refutat Jesuita Perer. lib.XIV. in Gen.IX.t.2.§.126. putans jam ante diluvium fuisse vini culturam; narrari autem plantationem vineæ, ob ebrietatem Noachi, & quæ eam consecuta sunt. Manet tamen vini usum fuisse utilem, & suo quodam modo necessarium. *Vinitor* fuit Noah, dictus איש־הארמה *vir terra*, Gen.IX.20. quasi terram uxorem duxisset, qui fuit Mythologorum lusus, hoc sensu non ineptus, jungentium Saturno Rheam, quam Tellurem intelligebant, uxorem marito. Etsi autem primus post diluvium vino plantando operam dederit, non tamen ante diluvium vinum non fuit. Est enim vitis species creaturarum à Deo conditarum; Est igitur in hexaemero creata, & deinceps culta eadem, quâ post diluvium, molestia & necessitate, etsi terrâ adhuc fœcundiore non tanta: quod observamus contra Abulens. Gen. IX. q.10. qui putat, terram ante diluvium sponte vites produxisse, ut cultura opus non esset. Sicut enim opus fuit colere agrum, progerminantibus spinis, tribulis, & lappis. Gen.III.17.18. Ita & vineas, ne ferrent labruscas. Alterum extremum est eorum, qui putant vitem à Noacho post lapsum demum esse inventam, quod Nauclerus in suo Chronico fabula condit. Vidisse enim Noachum, quod hircus, quem in Coricam Ciliciæ montem emiserat, ex labruscis, quas gustaverat, inebriatus sit, ut reliqua animantia cornibus impeteret; Hinc

Hinc prudentem virum conjecisse huic plantæ vim aliquam subesse, ideoque sanguine bovis, porci, agni, simiæque inseruisse, i.e. vitem plantasse. Petita est fabula ex libro Thanchuma, qui tamen non incommodè explicat, *quod, antequam homo bibat de vino, sit instar agni, quæ nihil quicquam novit, & sicut ovis: Si bibat decenter, fortis est, ut leo, & dicit, sibi similem non esse in mundo. Cum bibit plus æquo, porco fit adsimilis, qui se inquinat lotio & sordibus: Inebriatus adsimilis fit simiæ stanti, ludenti, producenti coram omnibus turpiloquium oris, nec scienti, quid faciat.* Manet tamen hoc, quod Noah post diluvium artem vinitoriam studiosius excoluerit: *Sylvestres arbores traducendo ad mitius ingenium, mitium vero incrementum industria sua promovendo, &, si quæ præ alimento nimio luxuriabant, putatione coërcendo, alias verò contractiores novis stolonum accessionibus amplificando. Adhæc generosas plantas, in multos ramos se diffundentes, paratis circum non admodum profundis scrobibus, propagando: Parum frugiferas autem, insitis in eandem stirpes, & unitis præstantioribus, ad meliorem frugem reducendo*, quæ facunda est vinitoriæ Noachicæ descriptio Philonis Judæi in libello de agricultura. R. Abarbanel discrimen inter vinitoriam ante & post-diluvianam sic expressit: *Etsi ante diluvium essent illic vites, unde racemi ederentur, non tamen fuerunt vineæ in ordinem structæ ad faciendum vinum, donec Noe ex surculis vitium, quos secum in arcam tulerat, consevit vineam in ordines dispositam, quo ex uvis eliceret vinum.* Et R. Becchai: *Primi mortalium vites seorsim ac separatim conseverant: Noachus eas nunc cœpit in ordines digerere, qui* כרם *vinea vocantur.* Hæc illi. Congrua hæc sunt phrasi איש־האדמה vir terræ Gen. IX, 20. Sic enim solent describi, qui studiose alicui reî operam navant, e.g. *vir belli.* i.e. miles. Joh. V. 4. *Vir pecoris.* i. e. opilio Gen. XLVI. 32. *Vir verborum.* i. e. disertus. Job. XI. 2. Ita *vir terræ.* i. e. cultor terræ, peritus in arte vinitoria; studiose eam colens, non opera mercenaria, aut lucelli tantum gratia; quæ est explicatio Philonis de agricult. & Ambros. d. Noe c. 29. Fabulantur Judæi, quod Noah palmitem ex paradiso acceperit, Euphrate fluvio advehente, qui plantatus eodem die & fructum protulerit: Vinum Noe propinarit, & haurientem inebriarit vide Gesner. disp. in Gen. IX. p. 229. Gerh. in Gen. p. 251. Sed fabulosum hoc est. Cum paradisus diluvio fuerit destructus, nec vi-

tes uno die plantentur, floreant, fructus ferant, nisi per miraculum, cujus h.l. nulla erat necessitas. Sicut & traditio de Harod & Marod, vini usu deceptis, ut fideles ex eo tempore vino abstinuerint. Bissel. ruin. dec. 1. p. 288.

(3.) Amictus. §. 29. (3.) *Amictus.* Vestibus fuisse contectos homines extra dubium est. Quibus vero ה שמלה vestimentum erat vulgare, quo parentem texerunt filii Sem & Japhet; incubabat autem humeris, braccæ igitur non fuerunt, sed pallium forsan, aut tunica; *quia* juxta historiam scholasticam *nondum homines utebantur femoralibus:* quod ipsum observat Abulensis in Gen. IX. q. 11. & addit de Semiramide, quod femoralia introduxisset, cum vellet tegere sexum. Si vera hæc sunt, diversus erat virorum & mulierum habitus, ut viri femoralibus uterentur.

(4.) Ædes & urbes. §. 30. (4.) *Ædes.* Si hoc est illud poëtarum argenteum Seculum, ut quidam putant, ergo homines tunc *primum subiere domos.* At subierant jam ante diluvium. Nam Henoch condidita civitas est à Caino jam ante diluvium. Quales vero ædes? Distinguendum puto inter fideles & infideles. Nam isti tabernaculis fuerunt contenti, Gen. IX. 21. Hebr. XI. 9. 10. Hi vero turrim magnificam & urbes excitarunt Gen. X. 10. 11. *Sine dubio humiles casulas Sanctorum Patrum & fratrum egregiè contemnentes.* Indice Luth. f. 165. enar. Incerta sunt, quæ Pseudo Berosus tradit lib. IV. Chald. homines tum *in veis & cavernis casas suas habuisse.* Hoc enim bestiarum, aut extremæ necessitatis est; non cultiorum hominum, ut tum erant. Neque tamen certum est, quod Boulduccus lib. 2. c. 7. tradit de Hebrone ab Heber condita: verba Cappucini sunt: *Alia autem hujus viri eminentia patet in hoc, quod duarum insignium civitatum, Hebronis videlicet, & Tanis conditor extiterit, idque sexto circiter post terræ divisionem anno:* Probare vult ex Num. XIII. 23. Heberem utramque urbem condidisse, quia septem annos ante Tanim dicatur esse condita Hebron. At N. C. Prius est condita Hebron, quam Tanis. E. ab eodem, quo Tanis, auctore. Sed nec illud certum est, quod Heber Hebronem condiderit, si nomina respicias: Iste enim scribitur עבר; hæc vero חברון à חבר Sociatus fuit, qui isthæc nomina congruant? Nec de Tani conclusio procedit, quasi à Titanibus, Noachi posteris, sit condita & à Tita-

à Titane, sole, appellata, quod à Noacho solis cursum didicerint. Postulata hæc omnia sunt; & figmenta Cappucini: Quasi vero Noachus non aliud habuerit, quod doceret suos, quam Astronomiam! Aut Ægyptii peregrino vocabulo suas urbes, vel populos appellarint. Aliam habent alii traditionem non magis certam. Fingentes à tribus Noe filiis totidem urbes fuisse conditas, Salem à Semo i. e. Melchisedecho, Hebronem à Chamo, & Joppen à Japheto. Isidor. orig. lib. XV. c. 1. R. Selomo in Jes. XIV. 15. Schindler. Pentaglot. Lex. rad. יפה. Sed cum nec hi certis nitantur documentis, fidem traditioni adhibere non possumus. Salem fuisse sub Noachica Ecclesia conditam, probabile est ex Historia Abrahamica, qui Regem Solymitanum veneratus est: Condita quoque fuit in Assyria Ninive, Rehoboth, Ir, & Calah: & quidem ab Assure, sive is Ninus, sive alius. Patet ex Gen. X. 11. *Ninive* dicitur & Ninus; à Nino Assuris filio. Duplex autem est hujus nominis civitas, altera ad Euphratem in Comagena, altera in Assyria trans Tigrim longè amplissima & celeberrima Jonæ saltem concione & sui conversione. Tandem à Cyaxare, ut prius à Nebuchodonosoro, eversa est. *Rehoboth* fuit עיר *urbs*, ne de plateis Ninive interpreteris; Sita ad Euphratem Gen. XXXVI. 37. dicta & Rahabat Melic. i. e. *civitas Regis*, Geogr. Nub. clim. IV. c. 5. Alii tamen propter distantiam Rehabath à Ninive malunt Birtham intelligi, Chaldaice בריתא *platea* dictam: quæ propius accedit locata ad ostia Tigridis. Bochart. lib. IV. Phal. c. 21. *Ir* ab eodem ad Rehoboth non ineptè refertur. *Calah* urbs fuit primaria Calachenes. 2. Reg. XVII. 6. & XVIII. 11. quæ fuit juxta fontes Lyci fluminis.

§. 31. (5.) Artes & vitæ professiones. Distinctè de his agamus. Sunt enim (1.) *scientiæ*, quæ ex literis acquiruntur. *Bonarum literarum* studia jam tum fuisse usitata aliqui extra dubitationis aleam ponunt. Nam Masius vir doctissimus ex Jos. XV. conatus est ostendere קרית ספר *urbem librorum*, fuisse locum, in quo antiquissima à diluvio usque derivata antiquitatis monumenta fuerint usurpata, referente Serario in Commentario ad l. c. Conjectura hæc est, non ἀπόδειξις. Potuit enim sic dici, quod etiam post tempora Ecclesiæ Noachicæ literarum studia ibi locorum floruerint. Taceo

(5.) *Artes & scientiæ.*

ceo, quod ספר etiam numerationem, recensionem significet. Conjectura tamen illa admodum probabilis est, quod civitas ista *Kirjath Sepher, vel Kiriath Debir, sit nominata à stylis, literis, calculis, artibusq́; punicis, sed,* saltem ævo Josuano, *profanis & crudis,* judice Dn.D. Danh.t.2.hom.sacr.p.476. Ex Abydeni fragmento huc referri potest, quod de Saturno refert, nempe Saturnum *præsignificasse, fore multitudinem imbrium Dasii die 15.* κελεύει δὲ πᾶν, ὅ,τι γραμμάτων ἦν ἐχόμενον, ἐν ἡλίου πόλει τῇ ἐν Σιππάροισι ἀποκρύψαι: i.e. *jussisse autem, quidquid literariæ supellectilis esset, in civitate solis, quæ in sipparis est, recondere.* Sed parum fidei hoc fragmentum meretur. Cum multa alia habeat de regibus quoq; Babyloniorum, & Ægyptiorum ante diluvium, quasi an. 432000. regnaverint, quæ cum veritate sacrarum literarum non possunt conciliari: *Malim* igitur *figmentum esse dicere hæc omnia, & mera mendacia hominum otiosorum, originem & primordia Babylonis extollentium, occasione arrepta, quod in memoria esset, & sermone hominum diluvium istud universale:* Cum Clar. Christ. Schotan. de 1. mundi ætate. f. 160. Ex professo has & similes veterum nugas confutavit eruditissimus Joh. Henricus Ursinus in tr. de antiq. scripturæ

Theologica. Mosaicæ. In specie studium *Theologicum* colligas ex officio Patrumfamilias & sacerdotum, qui erant primogeniti. Dubium non est, Prophetas h.e. Noachum, Semum, Eberum, suos habuisse filios, quos mysteria divina docebant, velut Ecclesiæ futuros ministros:

Juridica. *Juridicum* requirebat ratio politiæ administrandæ. Nam jus dicendum erat & administrandum necis & vitæ:

Medica. *Medicum* colligit Lyserus ex Genes. VIII. 11. ubi differit de olea, in hunc modum: *Hic frutex dubio procul post diluvium Noacho una cum palmite vitis monstratus est, ut hisce duobus succis præstantissimis, & suavissimis legitimè & moderatè sumptis sanitatem & vires, quæ non mediocriter per diluvii fœtorem enervatæ & imminutæ erant, aliquo modo extrinsecus & intrinsecus in corpore confirmaret, & corroboraret.* Hæc ille in Noach. p. 198.

Philosophica ut Mathematica. sed & *Philosophicum*; cumprimis autem *Mathematicum.* Omittimus hic loci incertas quorundam traditiones de Astronomiæ sive inventione, sive expolitione, sive traditione, ut Angelus, nescio quis, Uriel Enocho scientiam monstrarit ante diluvium; Sethus nomina imposuerit stellis, & tabulis inscripserit; post diluvium Arphaxad iterum invenerit, vel ejus filius Cainan, vel Nimrodus;

rodus: Nec enim inter se conveniunt Procopius Gaz. in Gen. 11. f. 113. Cedren. Comp. hist. f. 9. Isidorus apud Abulens. in Gen. 9. q. 5. Glyc. an. part. 2. ut amat fieri, si traditiones fundamento carent. Sicut & ea, quæ Pseudo Berosus lib. 3. Chald. refert de inscriptionibus à Noacho in lapide factis; Cedrenus de scriptura Cenani inventa, auctoribus Gigantibus. f. 12. hist. Xenophon in æquivocis de inscriptione Semiramidis in honorem Beli facta. Quas quisquilias expurgavit censura Rev. & Cl. Joh. Henrici Ursini in Apologetico pro Mosaicæ scripturæ antiquitate. Certiora fundamenta præbent ipsæ sacræ literæ. Gen. VI. 14. 26. Noah extruit arcam ad principia dubio procul Mathematica. Gen. X. 5. dicuntur Japhetitæ dispersi fuisse in insulas maris: Habuerunt igitur naves, quibus trajicerent, & media, quibus certum in mari cursum tenerent; hæc vero sine cognitione Mathematica feliciter nequeunt perpetrari. Adde turrim Babelicam artificiosè extructam Gen. 11, 4. Refert Bisselius Jesuita in dec. 1. ruin. p. 362. ex Herodoto de turre ista, quæ suo adhuc tempore supererat, quod octo partes habuerit in altum assurgentes. Infimam fuisse *mole spatioque maximam. Quæ posteaquam ad altitudinem, si sola fuisset, insignem educta jam esset, tum huic, interiore nonnihil situ, superinjectam alteram, & isti secundæ, postquam & illa proceritatem, inferiore celsiorem, esset nacta, tertiam, priore contractiorem; tertiæ quartam, quartæque quintam; & huic ex ordine quamque suo, superinjectas alias; quoad in octavam perveniretur. Eam, velut inferiorem unaquaque, sibi subjectas, ad proportionis regulam, altitudine vicerat, sic ipsam superasse cunctas.* Hæc ille facundè. Tantam igitur talemque molem quis credat sine insigni notitia mathematica potuisse perfici? Arithmetica puta, & geometriâ reliquarum disciplinarum fundamentis. Sed nec *physico* studio carebant, tot rerum experimentis edocti. Quod iterum discas ex structoribus famosæ turris. Deligunt enim argillam coquendis lateribus, & conglutinant bitumine, quod frequens est in Chaldæa, & Assyria: *Nimrodus, ut erat ad inveniendum expeditus, terram, docebat, illam, ut glebæ feracis, sic imprimis argillosæ, limique mollis esse. Posse, fornacibus extructis, & excitatis figlinis, in Saxorum formam quadratam, effingi coquique lateres, pondere, vel fœmineis manibus tolerabili; numero, supra fidem ingenti;* *Physica.*

genti ; soliditate quantisvis seculis pari, durabilique. Quod si ligaminum quoque, quibus inter se tot laterum millia committerentur, eos cura sollicitaret ; non esse (sicut in saxis) ferro, nou Chalybinis plumbeisve nexibus ; ac ne calce quidem opus atque cæmento, cujus utique, in regionibus illis, haud secus, ac lapidum, necessaria premerentur penuria. Sed, observasse se creberrimos insoliti liquoris fontes, per universum illum Chaldaæ tractum ; qui, cum aquis una, glutinosum quoddam ac tenax, & diversis inter se colligandis perquam idoneum viscum expellant ; summo latici, spumarum in morem, supernatans, picei lentoris, odoris sulphurei, candidique coloris. Hactenus Bisselius l.c. disserte & erudite de physica posterorum Noachi. Unde de aliis judicium ferre licet. Confirmare possumus ex arte rustica, quæ requirit cognitionem saltem aliqualem terræ, aëris, & cœli ; de quorum vicissitudinibus & tempestatibus Deus ipse mentionem facit in colloquio cum Noacho. Gen. VIII.22. *Ratio* anni numerandi eadem videtur fuisse, quæ hodie est, nempe Solaris. vide Xenoph. in æquivocis. Brent. in Gen. VIII. Chytræ. in Gen. X,285. Christian. Schot. Bibl. sanct. de 1. mundi ætate. f. 126.

Mechanicæ. §. 32. Ex dictis facile colligas artes (2.) *Mechanicas*, ut est *Architectonica*, quæ requiritur ad excitandas urbes, erigendas turres, compingendas naves, quibus in Insulas trajiciebant. Adde (3.) *Mercaturam*. Latet in voce כנען Canaan Gen. X. 15. qua scripturæ mercatorem significant, quod Cananææ incolæ ob maris viciniam mercaturæ admodum fuerint dediti, Tyrii cumprimis, & Sidonii. Eruditi putant Gentiles Canaanem in Mercurium suum transformasse, quod fuerit servus aliorum Gen. IX. 25. & præfectus viarum, Phœnicibus, & Cananæis in longinqua terrarum excurrentibus ; navium usis ministerio, quarum remi essent instar alarum. Subordinatur ipsi *Nautica* : quam exemplo suo & arca consecravit & docuit Noachus primus in hac Ecclesia Navarcha. *Purpuram & unguenta* crinium corporumque invenisse dicitur Assur filius Sem, juxta historiam Scholasticam in Gen. XI. 36. traditione nescio unde accepta. (4.) *Rusticas* non est, ut diu quæramus, Nam offert sese agricultura & vinitoria. De hac jam dictum ex occasione vini. De ista testatur phrasis איש־האדמה *vir terra* Gen. IX. 20. Berosus I, 3. tradit, quod Noah *antequam discederent*

Mercatura.

Nautica.

Vnguentaria.

Rusticæ.

derent ab Armenia homines docuerit simplicem agriculturam. Quod artis suo Saturno tribuunt gentiles apud Plutarch. quæst. 45. Rom.

§. 32. (6.) *Lingua Idioma.* Fuit *Hebraicum*, antequam turris Babelica extrueretur; ex eo enim tempore μέροπες extiterunt, in suas distincti dialectos. Variæ extant de hac quæstione sententiæ. Sunt enim qui Syriacam, sunt qui Græcam, sunt, qui Cimbricam linguam faciunt omnium primam. Nobis verò eorum placet sententia, qui Hebrææ primas tribuunt. Habemus (1.) *Rationes.* Nam prima & antiquissima nomina patriarcharum ex Hebrææ linguæ fontibus fluxerunt, ut αὐτοψία ostendit. confer Dn. D. Calov. Grot. Elench ad Gen. XI. (2.) *Auctoritates* præcipuorum patrum. vide Chrys. hom. 30 in Gen. Hieron. in c. 3. Sophon. August. lib. XVI. C. D. c. 11. Prosper. part. 1. de promis. c. 9. Eucher. l. 2. in Gen. XI. c. 5. 7. 8. Glyc. Annal. part. 2. Cedren. comp. hist. f. 9. Abulens. in Gen. XI. Ne quid dicam de testimoniis Judæorum. *Vapulant* igitur Theodoretus Cyrensis Episcopus quæst. 8. in Gen. Et Georgius Amira Episcopus Antiochenus, primas montis Libani, Johannes Caspar Myricæus; quos ex parte sequitur Kircherus Oedip. tom. 11. cl. 2. p. 51. asserentes, primum & vulgare, ante divisionem Babelicam, idioma fuisse Syriacum. Refutantur à M. Majero in Philologia Sacra. Vapulat & Patricides Arabs historicus, qui non improbat sententiam primas Græcæ tribuentium; Et Goropius Becanus, qui Cimbricam suam reliquis præfert: Et Hugo Grotius in notis ad Gen. XI. 1. qui Ebræam Abrahami linguam Chaldæam facit, ex Cananæa mixtam, & Punicæ vicinam: Negans puram hodie extare linguam Hebræam. Ante omnes vapulat Philastrius Brixiensis Episcopus hæres. 106. quod plures statuat linguas jam ante confusionem Babelicam extitisse. Hebræa igitur nec sola, forsan nec prima extitisset. Castigatur ab Alphonso à Castro lib. IX. contra hæres. tit. ling. Et merito. Nam est contra claram literam scripturæ, quæ dicit homines unius ejusdemque labii fuisse. Gen. XI. 1. Quod si una vulgaris fuit lingua ante confusionem, sacra igitur celebrarunt in lingua laicis non ignota; sed nota. Secus ac Pontificii facere consueverunt. Nec moramur distinctionem Athanasii Kircheri l. c. Inter linguam sacram, quæ

(6.) *Lingua.* an Hebraica sit prima?

M fuit

fuit Hebræa, & vulgarem, quæ fuit alia. Quasi ista sint usi in doctrina tradenda; hac in communi vita, ut erat Syriaca. Neque enim aliquod solidum hujus suæ sententiæ producit fundamentum. Imò est inter nostros B. Chemnitius, qui putat, etiam facta confusione linguarum, Hebræam tamen intelligi potuisse ab omnibus, part. 1. E. T. p. m. 98. Mansit autem illa Ebræa lingua in domo Eberis, qui fuit Ecclesiæ orthodoxæ pastor, & stirps Messiæ. Alii autem Eberis posteri e.g. Jectanitæ, neglexerunt hac uti lingua. Alii addunt aliam caussam, nempe pietatem Eberis & filiorum, quod non consenserint in structuram Babelicam, hujus pietatis ipsos pretium tulisse linguæ Hebrææ puritatem & propagationem. Alia est *controversia de numero linguarum*: An singulæ familiæ à capitibus Gen. X. enumeratis descendentes singulis sibi propriis idiomatibus sint locutæ? Affirmant Ambros. de vocat. gent. lib. 2. c. 4. Hier. in c. 26. Matth. Epiph. præfat. in hæresiol. & hæres. 36. August. de mir. script. c. 9. Chron. Wigor. c. 16. Ado Chron. an. 1758. Abulens. in Gen. X. q. 9. & c. XI. q. 12. Genebr. Chronol. an. 1788. Torniel. an. 1931. §. 15. Ex nostris Gesner. disp. X. q. 1. in Gen. Quibus contradicit Jacobus Boulduc. de Eccles. ante leg. lib. 2. c. 4. faciens *viros Ecclesiasticos*, non populos, ex Amathæis Amorrhæis, Pherezæis, Hevæis &c. At opus non fuisset tot tantisq; viris Cappucinum unum contradicere, cum ipsorum sententia proximè accedat ad mentem scripturæ, quæ numerat singulorum Noachi filiorum posteros, divisos איש ללשנו *singulos secundum suam linguam.* Gen. X. v. 20. 31. Distinctas ergo oportet fuisse linguas, ut erant distincta capita, familiæ, & gentes. Quot verò præcisè fuerint, & quousque distinctæ; 72; an plures, an pauciores? Id ego non ausim definire.

(7) *Locus.* §. 33. *Locus*, quem inhabitarunt hujus seculi homines, fuit ea ipsa terra, quæ fuit ante diluvium. Contrarium nuper statuere & defendere ausus est quidam ex Hispania nobilissimus & eruditissimus Vir (laudante Christiano Schotano in Bibl. sanct. de 1. ætat. mundi. f. 150.) Josephus Antonius Gonzages de Salas, in dissertatione: *de duplici viventium terra.* Statuit enim terram continentem, quæ fuit ante diluvium, periisse per diluvium; aliam autem in locum ejus, Deo procurante, successisse: Cui *inaudito*, ut ipse

ipſe vocat, *invento*, non quidem per omnia par, affinis tamen in aliquo tertio eſt ſententia Patrum Syrorum, ſtatuentium, aliam fuiſſe terram, quæ Paradiſum & homines ante diluvianos tulerit, aliam, quæ Noachitis tradita ſit habitanda. *Rationes* Hiſpani ſunt (1.) quia terra prior fuit maledicta. (2.) Locus peccantium hominum eadem fuit. (3.) Noah à quiete in Nova Terra nomen accepit. (4.) Nova terra benedicta fuit. Hæ præcipuè rationes ſunt. Subjungit exempla excidii Sodomitici, terrarum terræ motibus, vel aliis caſibus collapſarum, paradiſi perditi. *Reſponſiones* non ſunt difficiles, ſi in argumenta redigas verba. Vide Schotanum, qui peculiari diſſertatione anno 1654. *παϱάδοξον* iſtud refutavit. Confer & D. Micræl. contra Præ-Adam. p.69.



Articulus VII.

Sectio I.

DE CATECHESI ET RELIGIONE ECCLESIÆ NOACHICÆ quoad *Theologiam.*

Argumentum.

Fidei exiſtentia probatur ex dictis V. T. & N. T. Principium quod eſt tota SS. Trinitas, quo eſt Verbum & ſacramenta: Materia ex qua ſunt notitia, aſſenſus, & fiducia: Circa quam ſunt articuli fidei, qui recitantur confuſè, & diſtinctè. Diſtinguuntur autem in Theologiam, Chriſtologiam, & Anthropologiam. Dei explicantur nomina יהוה *&* אלהים*, eſſentia, perſonæ plures. nempe tres, Pater, Filius & Spiritus Sanctus: Typi. Attributa, vel ſunt abſoluta, nempe ſpiritualitas, inviſibilitas, ſimplicitas, æternitas, immutabilitas. Immortalitas, infinitas, immenſitas; Et Relativa, quæ ſunt: omnipræſentia, omnipotentia, Bonitas. miſericordia, Juſtitia, omniſcientia, ſapientia, Voluntas, Veritas, Perfectio, majeſtas, beatitudo. Identitas. Opera, ut ſunt Creatio, & creatorum omnium gubernatio.*

§. I.

DE materia, ex qua colligitur & conſtat Eccleſia, nempe de Japhetitis & Semitis, dictum eſt. Sequitur *forma*, quæ materiæ iſti Fidei (1.) *Exiſtentia* probatur.

1. ex Gen VI. 8. 14. & Heb. XI, 7. isti dat esse, distinguere, & operari, nempe vera *fides*, quæ hominem Ecclesiæ membrum facit, ab heterodoxo cœtu distinguit, & ad quævis bona opera habilem reddit. Colligitur (1.) Ex Heb. XI. 7. collato cum Gen. VI. 8. 14. *Fide* enim Deum suum colebat Noachus, & eadem impellente fecit arcam, quæ superstitem diluvio Ecclesiam servabat. Fides igitur, ex oraculo divino concepta, fecit, ut Noah esset inter eos, qui in arca erant, Ecclesiæ cives, & distinguit ab incredulo mundo, dignumque reddidit justitia coram

2. Gen. XI. 5. Deo, & promptum ad ejus mandata exsequenda. (2.) Ex Gen. XI. 5. Ubi mentio fit *filiorum hominis*, quibus opponuntur *filii Dei*. Gen. VI 2. membra, saltem externa, Ecclesiæ veræ. Filii autem Dei, ut sunt interna veræ Ecclesiæ membra, nascuntur per fidem ex verbo Dei conceptam. Joh. I. 12. vide Eccles. antediluv. p. 49. §.

3 1. Pet. III. 20. 35. Et quæ superius art. 3. §. 1. dicta sunt. (3.) Ex 1. Pet. III. 20. ubi agitur de infidelibus Noachi tempore hominibus, qui exclusi ab arca æternum perierunt. Sicut enim infidelitas ipsorum caussa fuit exclusionis ab Ecclesia; Sic vicissim fides caussa extitit, cur alii essent veræ Ecclesiæ membra & servarentur, ut Noah cum filiis.

Confirmatur. *Confirmatur* ex nominibus propriis, quibus filios suos insigniebant: quæ in compendio exponuntur à Pelargo comm. in Gen. XI. p. 238. Walther. in offic. Bibl. p. 743.

(II.) *Caussa.* 1. Principalis Deus. §. 2. *Principium*, *quod* fidem hanc produxit, & productam confirmavit, est *Deus*. Ille enim revelaverat Noacho imminens diluvium, jussitque arcam parari, quæ ipsum cum familia servaret, per & propter Christum aliquando futurum, percusso fœdere, ne fides vacillaret. Gen. VI. 13. 18. Evocat ille nominatim Noachum cum uxore, filiis, & nuribus, & jubet ipse ingredi arcam, clauditque post omnes januam; ut certi essent, se Deo curæ esse. Gen. VI. 18. VII. 1. seqq. Epistola ad Hebræos XI. 7. vocat *χρηματισθεὶς oraculum* divinitus acceptum, quo fides generata est, & Noa inductus, ut

Pater. arcam præpararet. Opus est totius S. Trinitatis. Nam Gen. VIII. 21. Deus dicitur ad *cor* suum esse locutus, quod explicant de Deo

Filius. Patre colloquente cum Filio suo, cum decretum faceret de pœna ab hominibus auferenda, *propter hominem*, i.e. Filium, aliquando hominem futurum. Atque hoc decretum Noacho est revelatum; qui alias scire non potuisset odorem de suo sacrificio gratum fuisse

Deo

Deo, nisi hoc revelante sive verbo, sive signo suum decretum. Interrogabat Deum Noachus, an vellet, & ut vellet propitius esse peccatis hominum futuris? Respondit Deus, & annuit, ut fiduciam conciperet homo, ex diluvio adhuc consternatus, de gratia Dei posthac futura. Respondit autem per verbum suum ὑποστατικὸν Filium; Nam gratia Dei nobis data est in Christo Jesu ante tempora secularia, 2. Tim. I 9. & revelata. Joh. I. 17. 18. Matth. XI. 27. *Est itaque cor Dei ipse Filius Dei, secunda persona Trinitatis. Hic enim narrat nobis æternam Dei voluntatem, & recitat decretum*, juxta Lyserum in Noacho ad Gen. VIII. 21, confer Dn. D. Calov. de præ-exist. Filii Dei. cap. 14. §. 152. seqq. Offerebat Noachus sacrificium, cujus odor gratus fuit Deo: unde hoc scivit Noachus? Audiamus judiciosissimum Lyserum denuo: *Cum Noachus animalia & aviculas mactasset, eaque altari à se constructo imposuisset; ibi ipse Dei filius hoc sacrificium accendit, vel igne cœlitus misso, ut in sacrificiis Abelis, Abrahami, & Salomonis factum fuit.* p. 226. Absurdum non est, si dixerimus, Filium Dei visibili aliqua specie vel descendisse, vel adstitisse sacrificanti, ut alias solitus fuit facere, Jud. XIII. 19. 20. certè Josephus Judaicarum rerum diligentissimus scriptor lib. 1. antiq. c. 4. scribit, Deum, habito cum Noacho colloquio, *abiisse*, quod præsentiam localem & visibilem prærequirit. *Spiritum sanctum* excludere non possumus. Ipse enim charismata sua Ministerio distribuit, & virtutes, ut verbum sit efficax in hominum cordibus. 1. Cor. XII. 4. seqq. & Spiritus sanctus.

§. 3. Principium, *quo* utitur Deus, ex dictis facile evincitur. Nempe verbo & sacramentis. *Locutus* enim esse Deus dicitur ad Noachum: *verbis* igitur usus est, quæ vocis istius nativa & famosior est significatio. Atq; verbis istis perceptis Noah concepit fidem, vel conceptam fovit & auxit. *Traditiones* non scriptæ tum adhuc in usu erant, quia Deo nondum placebat mysteria in literas canonicas & authenticas referri. vide B. Chemnit. part. 1. exam. p. m. 13. *Authenticum* autem erat verbum. Nam erat divinum. Divinum autem fuisse probatur ex complemento vaticiniorum tum temporis editorum. Gen. IX. 25. seqq. illustris extat prophetia, de rebus post aliquot annorum millia futuris, quæ hodie adimpletæ sunt, vocatis Japhetitis ad veram Ecclesiam. Vide Schotan. 2 Instrumentalis.

de 2. mundi ætat. f.47. & lege, quæ infra Sect.III.§.36. ex ipso allegamus. Verbis Deus addere solet *signum*, quo fides concepta foveatur, & sigillo obsignetur. Ejusmodi signa erant ignis in sacrificiis, arca, & iris. *Pertinet hoc totum eo, ut intelligeret Noah, se Deo curæ esse, nec id tantum, sed etiam, ut Petrus loquitur, ut haberet copiosum verbum, & abundans, quo sustentaretur, & confirmaretur fides ejus in tanta difficultate.* Verba sunt B. Lutheri in enar. f.127. Sed de hac materia superius prolixè dictum est art. IV.

§. 4. *Tres* actus sunt, quibus fides justifica & salvifica absolvitur: Nempe (1.) *Notitia* rerum credendarum. Hoc enim fine Deus revelavit decretum suum de perdendo genere humano, Gen. VI. 7. & 18. iterum de servandis, post diluvium futuris, ne diluvio iterum absorberentur. v. 18. Percepisse Noam istam revelationem, patet ex arca, quam fecit. Gen VI. 22. & sacrificio, quod obtulit Gen. VIII. 20. 21. IX. 11. (2.) *Assensu.* Ex iisdem indiciis colligitur, nempe exsecutione ejus, quod revelatum erat. Confirmatur ex Hebr. XI. 1. & 7. Fides enim non dubitat; assentitur igitur; At talis erat fides Noachi; Nam inter species refertur. Non igitur dubitavit. (1.) *Fiducia.* Concepit hanc & confirmavit Noah verbo divinitus accepto, ut arcam his lignis, hac figura, mensura, quantitate strueret, structam ingrederetur, ingressus aliquamdiu commoraretur; ut salvus aliquando egrederetur & superviveret seminarium generis humani, cumprimis Messiæ aliquando ex ipso nascendi. Hæc fides confirmata est fœdere, quo Deus promisit Semen, caput serpentis contriturum. Gen. VI. 18. Exercita est sacrificiis, fidei sigillis: *Ediderunt enim fidei confessionem suæ, quod scilicet statuant, sibi parsum fuisse à Deo, ob futurum sacrificium seminis mulieris, cujus mors præfiguretur mactatione mundorum illorum animalium.* Lyser. in Noach. p. 22. Hinc apparet, quid vera fide apprehenderit, nempe Semen mulieris pro humano genere moriturum. Quo de Mysterio infra.

Circa quam in genere.

§. 5. *Objectum*, circa quod fides versatur, sunt articuli fidei, quos in compendio recitat Chytræus comm. in Gen f. 302. 303. quod Sem suis *doctrinam de Deo, de creatione mundi & generis humani, de lapsu & reparatione hominum, de caussa peccati, & mortis, de venturo semine, quod abolito peccato & morte redditurum esset justitiam & vitam*

vitam credentibus, de vera invocatione Dei, & discrimine spiritualis obedientiæ cordis, & externæ disciplinæ ac sacrificiorum, de consolationibus in cruce, de extremo judicio & vita piorum æterna, & illustria testimonia iræ Dei adversus peccatum, in diluvio præcipuè declarata, & præsentiæ Dei in mirandis liberationibus posteris suis tradiderit. Confer Danæ. antiq. Mosaic. p. 393. 394. 449. Ex dictis apparet, quod eadem tum fides fuerit, quæ hodie est. Qua de ὁμοψηφίᾳ audiamus Epiphanium præfat. in panarium, in hæc verba loquentem: *Erat* (ævo Noachico) *solum impietas & pietas, lex naturæ, & uniuscujusque voluntatis propositum secundum naturam, & neque à doctrina, neque ex libris scriptorum error & seductio, non Judaismus, non heresis alia aliqua, sed sicut nunc est fides, quæ jam in Sancta Ecclesia Catholica habetur, quæ ab initio fuit, & postea rursus revelata est.* Hæc ille; miscens malis bona. Neque enim suum cuique liberum erat propositum, sed habebant verbum Dei, ad cujus normam sese attemperabant. Sed nec hæresibus suis carebant, quod infra patebit. *Credidit igitur Noë, quæ prædicta vidit in arca: Credidit, quæ futura erat nobis præsentanda Ecclesia: nobiscum sperat, quæ erat ultimo judicio declaranda.* Prosp. de promiss. part. 1. c. 7.

§. 6. Descendamus ad species. Dividi possunt credenda (1.) In θεολογίαν. Considerat hæc Dei. 1. *Nomina*, quæ sunt יהוה & אלהים. Illud occurrit Gen. VIII. 20. ubi Noah exstruxisse ליהוה *Deo* altare dicitur. Repetitur Gen. IX, 26. ubi laudes Deo canuntur, qui Semi Dominus erat. Utroque in loco de beneficiis sermo est, cum corporalibus, tum spiritualibus, nempe de beneficio restaurati generis humani post diluvium, quod est beneficium corporale; & de futura ejusdem redemptione per Messiam, qui ex Semo erat oriundus, & per sacrificia adumbratus, quod est spirituale. Usurpatur igitur vox יהוה, ab essendo derivata, quia & dictis suis veluti esse dat Deus, & hominibus, quos & quoad corpus, & quoad animam conservat. vide Cajetan. comm. ad Gen. VIII. 1. 5. 16. B. Walth. Spicileg. part. 1. contr 9. de nomine יהוה disputat: an hoc nomen sit cognitum ante Mosen Patriarchis? Aff. ex Esai. LXV. 16. Et quæ sit ratio derivationis? Altera vox est אלהים Gen. XI. 7. Ex quo loco apparet, quod hæc vox sit pluralis numeri; Cum conjunctum habeat verbum pluralis numeri: descendamus.

In species. (1.) Θεολογία. Dei. 1. *Nomina.* יהוה

mus. Eadem tamen de una quoque persona, secunda puto, usurpatur Gen. IX. 26. 27. ob identitatem essentiæ trium personarum. Unde & vox singularis numeri Gen. VIII. I. IX. 26. addita habetur.

(2.) Essentia. (2.) *Essentiam*, quam Deus habet unam. Colligitur ex voce יהוה. Nam ab essentia est desumpta. Ille autem יהוה unus est, quia una est essentia. Nec obstat vox pluralis numeri: descendamus. Gen. XI. 7. Nam postquam divinæ personæ inter sese essent locutæ, concludentes: *venite, descendamus, confundamus*, Subjungitur v. 8. Et *divisit* eos: ויפץ יהוה & dispersit eos Dominus. Personæ igitur illæ inter sese colloquentes sunt יהוה Dominus unus. Observatio est glossæ. *Nam singulari numero*, inquit, *subjunctum est: Et divisit eos Dominus; Sicut ibi* Gen. I. v. 25. 26. *fecit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam.* Objecit olim quidam Bardesanes, plures fuisse Deos exinde constat, quod contraria ediderint decreta. Gen. VI. 19. jubet alius bina & bina ingredi animalia; Gen. VII. 2. alius jubet septena & septena. Plures igitur Dii fuerint. Resp. Unus est Deus, qui utrumque jussit, non plures, sibi invicem contrarii. Nec enim decreta ista contraria sunt. Siquidem prius loquitur de binis paribus, masculo & fæmella, quod singula debeant compar habere suum, ad propagationem futuram, ut Gen. VI. 19. 20. additur. Posterius autem loquitur de singulis, quod de mundis debeant ingredi septem, masculi tres, & fœmellæ tres, uno ad sacrificium superstite; de immundis autem duo tantum, masculus & fœmella. Hæc vero sibi invicem contraria non sunt.

(3.) *Persona.* Sunt plures, nempe אלהים inter se colloquentes Gen. XI. 7.

(3.) *Personæ*, Plures in Deo personas esse, patet ex voce אלהים, quæ non terminatione tantum, sed etiam significatione pluralis est, Luther. enar. f. 169. Walther. Spicil. part. 2. contr. 21. ut patet ex Gen. XI. 7. Nam plures inter sese colloquentes introducuntur, qui dicunt: venite, descendamus, confundamus, quo modo nemo individuum stylo sacro de se ipso loqui amat. Philo, etsi Judæus, fatetur tamen mysterium pluralitatis subesse, *videtur enim*, inquit, *quosdam* (Deus) *alloqui, tanquam operationis socios. Idem & antea de hominis creatione dictum legitur: Dixit, inquit, Dominus Deus; Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: ubi vox faciamus, pluralitatem significat. Et rursus dixit Deus: Ecce Adam factus est sicut unus è nobis, ut noscat bonum & malum.*

Nam

Nam illud : unus è nobis, non de uno, sed de pluribus ponitur. Hæc ille de confus. lingg. f. 296. Dubium igitur non est, de pluribus sermonem esse. Quibus autem, personis divinis, an Angelis? Angelos intelligit August. lib. XVI. C. D. c. 5. quique ipsum frequenter in terminis sequitur, Eucherius in comm. ad Gen. & Abulens. q. 10. in Gen. XI. Hodie Sociniani suam faciunt eandem sententiam. Confirmari videtur ex Chronico secundi templi, referente Drusio in comm. Genes. 32. quodque LXX. reddiderint: *Descendam, & confundam, ne gentes existimarent, plures Deos coli à Judæis.* Confer Weidner. in præcip. Loc. fid. Christ. p. 142. 143. Walth. spicileg. d. nom. Dei part. 1. contr. 13. Et Thargum Jonathanis: *Dixit Dominus septem Angelis suis, qui stant coram illo.* Sed hæc non dimovent nos à sententia nostra orthodoxa, qua dicimus, plures intelligi personas divinas, æquali honore inter sese distinctas; nequaquam autem Angelos. Nam illi inter sese colloquuntur, qui diviserunt linguas; At Deus hoc fecit, non Angeli. Gen. XI. 8. Nec potuissent id Angeli, cum divinæ & infinitæ potentiæ sit opus eximere memoriam verborum hactenus usitatorum, & inferre notitiam aliorum, hactenus ne quidem auditorum. Nec LXX. nobis obstant, qui, juxta hodierna exemplaria, sic verterunt: *καταβάντες συγχέωμεν, descendentes confundamus.* Quod nostram sententiam confirmat. Augustinus lib. XVI. c. 6. ita de Angelis loquitur, ut non neget de Deo posse intelligi. Postquam enim disseruisset de colloquio Trinitatis in creando homine Gen. I. 26. 27. Et ostendisset, Deum, non ad Angelos, sed personas divinas ad se invicem esse locutas, subdit: *Poterit & hic eadem intelligi Trinitas, tanquam Pater dixerit ad Filium & Spiritum Sanctum: Venite, & descendentes, confundamus ibi linguam eorum; Si aliquid esset, quod Angelos prohiberet intelligi.* Est aliquid, Augustine, quod prohibet, nempe operis sublimitas, Deique majestas, qui cum Angelis consilia non init, sed Filio suo, Angelo magni consilii, & Spiritu Sancto, qui omnia divina scrutatur. Quod enim de cogitationibus Angelorum, divinæ veritati congruis, subjungitur, à litera abit, & in allegorias non argumentivas commutatur. Targum Jonathanis & Abulensem non adeo moramur, quod turgeant Judæorum vel fabulis, vel pravis expositionibus, Eucherius in sequentibus ad Trinitatem appli-

Solvuntur objecta.

cari posse locum ipse concedit. Optimè igitur & nervosè Procopius: *Hæc verba ad Filium & Spiritum Sanctum, nec ad Angelos referuntur.* Prosper part.1. de promis. c.9.8. *Deus Trinitas loquitur.* Et qui suffragantur Theodoret. q. 19. in Gen. Cyrill. lib. 3. de Trin. t. 2. opp. Fulgent. de fide ad diac. c.1. Ipse Calvinus comm. in Gen. XI.

De se loquentes Gen. IX, 6. §. 7. Alius est de pluralitate personarum locus, Gen.IX.6. ubi Deus de Deo loquitur, ut creatore hominis ad sui imaginem. Plures igitur personæ insinuantur. *Etiam hic distinguitur exemplum, opus, & operans, Deus testatur, se ad imaginem Dei hominem fecisse.* Scribit Hilarius lib.IV. de Trinit. f. m. 33. Suffragatur Ambrosius de Noe & Arca c. 26. sic enim loquitur: *Movet etiam plerosque, quod dixerit: ad imaginem Dei fecit hominem; & non dixit, ad imaginem meam, cum ipse sit Deus. Sed intellige & Patrem esse, & Filium esse. Et licet per Filium omnia facta sunt, tamen legimus, quia Pater fecerit per Filium, sicut scriptum est: Omnia in sapientia fecisti. Sive ergo Pater dicit, ad imaginem verbi fecit; sive Filius dicit: ad imaginem Dei Patris fecit.* Eadem argumentandi ratione utitur Eusebius lib. VII. de præp. Evang. c.5. *Quamobrem*, inquiens, *quasi de altero Deo dicitur: in imagine Dei feci hominem.* Etsi consequentia non bene se habeat. Nam Arianismum sapiunt, de homine creato ad imaginem, non Dei Patris, qui imaginem non habeat, sed Filii, qui Patris sit verbum, eoque inferior. Alia mens fuit B. Brentii, cum in comm. ad Gen. V. 1. scribit: *Deus fecit hominem ad similitudinem Dei; Deus videlicet Pater, fecit hominem ad similitudinem Dei, videlicet filii sui.* Ordinem enim solum indicat, non oppositionem. Vide Dn. D. Sebast. Schmid. de imag. Dei. c.7.p.145. Colloquium certè inter personas Trinitatis ita refertur, ut idem sit omnium personarum opus. Gen. I, 26. 27. Nempe homo, creatus ad imaginem

v. 16. לאלהים personarum Trinitatis. Gen.IX.16. *Deus iterum de Deo loquitur, quod cum à Spiritu S. sit annotatum, ideo Trinitatis mysterium hic proponitur.* Gerh. comm. in l.c. confer Walth. in spicileg. nom. div. part. 1. contr. 12.

Tres. (1.) Pater, §. 8. Distinctè de singulis Personis agamus. (1.) De *Patre*, Gen.IX.16. Deus loquitur de fœdere inter Deum & creaturas percusso. Dubio procul Filius, Patris λόγος, & arcanorum exegeta

geta, loquitur de suo Patre, inter quem, & creaturas mediator est. Quod si malis invertere, ut Pater de Filio loquatur, perinde erit. Chaldæus ita accepit. Sic enim verba Gen. IX. 11. vertit: *Hoc signum fœderis, quod ego do inter verbum meum & inter vos* &c. Quod illud est verbum? Hypostaticum est, nempe Messias futurus, Filius Dei, in quo omnes Dei promissiones sunt ναὶ καὶ ἀμήν. 2. Cor. I. 20. Hinc cogitare possumus (2.) De *Filio*. Nam ille ipse, qui dicit, se memorem fore fœderis inter Deum & homines; v. 16. dicit fœdus percussum esse inter se quoque, & homines, v. 12. 13. 15. ut adeo ipse sit quoque Deus. Confirmatur ex v. 26. ubi *benedictus DEus Dominus Semi* celebratur. Quis enim ille DEus Dominus Semi? Est Messias futurus ex stirpe Semi, qui est Deus super omnia εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας. Rom. IX. 5. Illustris locus est, & veluti commentarius nostri. Agit enim de prærogativa populi Israëlitici, in quibus privilegiis etiam nativitas Messiæ refertur, *Quorum Patres, & ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula Amen!* Quid clarius explicet verba Noachi: *Benedictus Dominus Deus Semi* i.e. Messias, ex Semo carnem assumpturus, & in ea benedictionem in omnes homines dispensaturus? Si phrasi ista: *Dominus Deus Semi*, nuda gratia Dei erga Semum, aut fiducia Semi in Deum connotaretur, fuisset etiam Japheti Dominus Deus, qui tamen non dicitur, ob nullam aliam caussam, nisi quod ex Semi posteris humanam naturam Messias esset assumpturus. Deus est, qui diluvio mundum punivit. Gen. VI. 7. 17. VII. 4. At Filius est ille Deus. Nam omne judicium Filio suo dedit Pater. Joh. V. 22. qui justus judex est. 2. Tim. IV. 8. Qui Noachum servavit est Deus. Gen. VI. 8. 18. VII. 1. At Æterna sapientia, & verbum Dei, est ille Deus; Nam justum servavit exiguo ligno, nempe arca. Sap. X. 4. Servare aliquem, est, ordinariâ phrasi, actus personæ, non virtutis, aut verbi προφορικοῦ. Qui Noachi meminit, est יהוה Gen. VIII. 1. At Filius Dei est ille, qui meminit: Memra enim dicitur in Thargum Jonathanis. vid. R. Salom. demonstr. X. (3.) *Spiritus Sanctus*. Hæc omnia revelavit. Nam ipso inflati locuti sunt sancti Dei homines, adeoque & Noachus, de Messia vaticinatus. Gen. IX. 26. 1. Pet. I. 10. 11. 2. Pet. I. 20. 21. 1. Cor. XII. 4. 10. Ejusdem opus deprehenditur Gen. XI. 8. nempe confusio linguarum.

(2.) *Filius*,

(3.) *Spiritus* sanctus.

N 2 *Spi-*

Spiritus Sancti opus est linguas mutare. Nervose scribit Procopius ad l.c. vide Hutter. Loc. de Deo f.98. Gesner. disp. X. in Gen. q.12. Gerhard. Loc. de Trinit. Exeg. §.154 *Typus* ejusdem erat columba, quam Noachus emisit. Juxta Tertull. de bapt. c.8.

(4.) Typi. §. 9. *Typi* totius Trinitatis apud Patres varii occurrunt, quos illustrationis gratia subjungemus. Cyprianus in literis ad Novatianum quendam ex volatu columbæ circa arcam ter facto figuram sumit: *Trinitas illa, quæ sub Noë per columbam figuraliter operata est, hæc nunc in Ecclesia per hos spiritaliter operatur.* Cyrillus lib.3. in Genes. numeros arcæ in typum convertit. Eucherius c. 40. in Gen. VIII. altare Noachicum huc trahit: *Constructio quippe altaris sanctæ Trinitatis confessio intelligenda est:* Ita ille. Basilius epist.54. ad fratrem Gregorium de differentia personarum inter se vera quidem, sed admiranda, eleganter philosophatur ex iride: *Quemadmodum*, inquiens, *in iride & colorum differentiæ plane dignoscuntur, & sensus tamen distantiam ab altero comprehendere nequeunt: Ita cogites in unoquoque, quæ creduntur in Sancta Trinitate, substantiarum resplendere proprietates, tanquam flosculos illos in iride: Naturalis autem proprietatis nullam cognosci unius ab altero diversitatem, sed in communitate essentiæ relucere proprietates, quamlibet personam indicantes.* Hæc ille.

(5.) *Attributa.* 1. Spiritualitas. §. 10. *Attributa*, eaque *communia* & *absoluta* sunt (1.) *Spiritualitas.* Colligitur ex voce יהוה, quæ ab היה derivata denotat Deum nihil nisi essentiam suammet esse, aliunde non dependentem, sed omnibus dantem, ut sint. Corpus ergo non est, quod aliunde componitur. *Objicis:* Gen. VIII. 21. dicitur Deus odoratus esse odorem ex sacrificio. E. corpus est, non Spiritus, quippe qui odoris organa non habent. ℟. Chrysost. hom.27. in Gen. *Ne offendaris verbo crassiore; sed hujus verbi attemperationem tuæ infirmitati adscribes.* confer. Justin. q. & ℟. 10. ad orth. Theodor. quæst. 53. in Gen. Eucher. in comm. ad h.l. Ex spiritualitate sequitur (2.)
2. Invisibilitas. *Invisibilitas.* Objicis: Deus tamen sæpe apparuit primævis illis hominibus, quod ipsi §.2. præced. fassi sumus. Resp. dist. inter visibile in se, & in alio, scilicet corpore, seu specie, ad tempus assumptis. Hoc modo Deum videri posse concedimus, isto autem ne-
3. Simplicitas. 4. Æternitas. gamus. (3.) *Simplicitas*, & (4.) *Æternitas:* vide Eccles. antediluv. p. 64.

p.64. §.54. (5.) *Immutabilitas.* Apparet ex harmonia inter verba divina, & horum executionem, quod videas in comminatione diluvii, & ejusdem eventu; Objicis cum *impio Vorstio*, ut à Riveto dicitur in Gen. f.212. Deus tamen dicitur pœnitere, dolere &c. Gen. VI.6.7. Resp. (1.) Tertullianus contr. Prax. c.16. sic dici typicè in Filium Dei, qui homo, humanis affectibus obnoxius, erat futurus: *qui affectus humanos sciebat jam tunc, suscepturus etiam ipsas substantias hominis, carnem & animam.* Est paulo post: *si qua haeretici apprehendunt, quasi Deo indigna, ad destructionem Creatoris, ignorantes, hæc in Filium competiisse.* Longius petita est sententia. (2.) Ambrosius, allegante Johanne Bisselio Jesuita in ruin. illustr. dec.1. propius accedit ad rem, nempe ideo Mosen Deo affectus humanos attribuisse, *ut peccatorum exprimatur acerbitas; quæ divinam meruerit offensam, tanquam eo usque culpa delinquentium increverit, ut etiam Deus, qui naturaliter non movetur, vel odio, vel ægritudine mentis ullæ, provocatus videatur ad iracundiam.* lib. de arc. & Noë. c.14. Cui suffragatur Salvianus, Episcopus quondam Massiliensis; *Sub nomine*, inquiens, *pœnitentis Dei* Moses *vim demonstravit irati*, lib. 1. de gub. Dei. Confer Justin. qq. & Resp. 10. orth. Athanas. lib. 1. de Trinit. Novatian. de Trinit. c. 6. August. C. D. XV. c.15. Theodor. q.50. Et Eucher. Lugd. c. 39. in Gen.6. Rupert. Tuit. lib. 2. de Vict. verbi. c.25.26. Ex Judæis Philonem περὶ τοῦ ὅτι ἄτρεπτον τὸ θεῖον. Ex nostris Gerh. Loc.II Exeg.§.155. Ex Reformatis Rivet. exerc. 51. in Gen. Ex immutabilitate sequitur. (6.) *Immortalitas.* (7.) *Infinitas.* (8.) *Immensitas.* Hæc omnia vis vocis יהוה in sese complectitur, ut alibi ostensum.

5. Immutabilitas.
6. Imortalitas.
7. Infinitas.
8. Immensitas.

§. 11. *Relativa* sunt (1.) *Omnipræsentia.* Colligitur ex Gen. VIII.20.21. dum Deus dicitur esse odoratus odorem sacrificii. Ea enim phrasi, judice Lysero, *scriptura vult indicare, Deum non procul abfuisse ab isto sacrificio.* in Noach. p.226. *Objicis* Gen.XI.5. Deus dicitur descendisse. E. omnipræsens non est. Resp. Philo d. confus. ling. f. m. 265. τροπικώτερον *figuratius* ista esse accipienda, non propriè, *quæ esset* ὑπερωκεάνιος καὶ μετακόσμιος ἀσέβεια *immensa impietas*, ταῦτα δὲ ἀνθρωπολογεῖται, *sed ista humano more dicit de Deo* Moses. Confer. Justin. Mart. dial. cum Tryph. f. m.279. Eucherium

II. *Relativa* (1.) Omnipræsentia.
Obj.
Rſ.

rum & Procopium in Gen. l. c. Breviter, quæ ἀνθρωποπαθῶς (vox est Hugonis in glossa ad h.l.) de Deo sunt dicta, ea θεοπρεπῶς sunt
2. Omnipotentia. accipienda. (2.) *Omnipotentia.* Hanc colligere potuit Noachus è diluvio, quo omnes homines, paucis exceptis, absorpti sunt, deinde aquæ revocatæ; Gen. VII. VIII. Præsertim autem ex confusione linguarum. Gen. XI. 8. (3.) *Bonitas.* Duplex est, in se, & in alios. Deus
3. Bonitas. in *sese* bonus est, utpote osor peccatorum maximus. Gen. VI. 5. seqq. Nam punit. v. 7. Sed & *in alios*, quos ad pœnitentiam vocat. Gen. VI. 3. & bonis legibus instruit. Gen. IX. 4. seqq. Et salvari vult. Patet ex spatio resipiscendi impiis concesso Gen. VI. 3. De quo præclare Ambros. d. Noë & arca c. 13. disserit: *Spatium dedit ad pœnitentiam Dominus, magis volens ignoscere, quam punire, ut imminentis diluvii terrore suspensos ad veniam cogeret postulandam, quo, dum periculum futuræ mortis horrescunt, impietati atque injustitiæ renunciarent. Ut hinc quoque Domini supra modum clementiam misericordiæ colligamus.* Confirmatur Bonitas ex arca sub oculis ipsorum constructa, *quo & ipse aspectus arcæ iis sufficientem memoriam suggereret, & nullus ignoraret inferendæ pœnæ magnitudinem.* Scribit Chrysost. hom. 25. in Gen. adde Pelarg. comm. in Gen. VII. p. 170. Gen. XI. 5. seqq. Deus dicitur descendisse, quasi hactenus non adfuisset. *Fit autem hoc ideo, quia Deus est longanimis, nec statim punit, quæ pœnam*
4. Misericordia. *merebantur*, scribit Luther. ad l. c. Ex quibus manat (4.) *Misericordia* divina. Neque enim Deus voluit mortem peccatorum, sed ut resipiscerent, & viverent, ideo vocavit ad pœnitentiam. Confirmatur ex sacrificiis Gen. VIII. 20. 21. Nam cadit pro homine bestia, signum quod ejus Deus misereatur propter Christum, hominem futurum. Gen. IX. 6. 7. Deus cædem prohibet, quod homo ad Dei imaginem sit factus, ut viveret, & sese multiplicaret. Confer Joseph. lib. 1. antiqq. c. 4. ubi analysin instituit precum Noachi, ut quæ-
Obj. stionum, & responsionis divinæ Gen. VIII. 21. *Objiciebant* olim Marcionitæ: Deus est auctor diluvii, quod malum est. E. non est
℟. vel bonus, vel misericors. Resp. Tert. lib. 2. advers. Marc. c. 14. distinguendo inter *delicta & supplicia*, seu, ut nos hodie loquimur, inter malum culpæ, & pœnæ. Illius auctorem Deum non esse, sed hujus, ut erat diluvium. Sic enim de divina bonitate & miseri-
5. Justitia. cordia loquendum est, ut locum habeat (5.) *Justitia.* Confirmatur

tur ex Gen.IX.5.6. Nam prohibet Deus homicidium, addita comminatione mortis irrogandæ, qui perpetraverit. *Objicis*, Gen.VI. 17. Deus comminatur exitium bestiis, quæ tamen non peccarant. Resp. Ambrof. d. Noe & arca c. 4. *Quia propter hominem illa* (animalia) *facta erant, eo utique deleto, propter quem facta sunt, consequens erat, ut etiam illa delerentur, quia non erat, his qui uteretur.* Et c.10. *Quemadmodum in bello, cum imperator ab hoste occiditur, commoritur ejus exercitus, atque omnis communitur virtus militaris, sic non discrepare à justitia visum est, cum interiret homo, cui regalem quandam Dominus Deus in omne animantium genus potestatem dedit, ut omnibus volatilibus, feris, bestiis, imperiali praeesset auctoritate, quo etiam pecudes, & quaecunque erant irrationabilia, commorerentur animalia.* Hæc ille. Confer Chrysost. hom. 22. in Gen. Perer. in Gen. VI. t. 2. lib. 8. §.163. Salian. an.1557.§.8. Pergis opponendo: Gen.IX.25. maledicitur Canaan, qui tamen non peccarat, sed parens ipsius Cham: Respondent variè. (1.) Ideo non esse maledictum Chamum, quia pridem erat à Deo benedictus. Gen.IX.1. seqq. Sic Justin. Mart. dial. cum Tryph. f. 288. Ambrof. de arca c.32. Chrysost. hom. 29. in Genes. Procop. Gaz, in Gen. l.c. (2.) Canaanis maledictionem æquè affecisse parentem, ac si ipse pertulisset. Chrysost. l.c. (3.) Respexisse Deum ad Cananæos olim plectendos. Ita August. q.17. in Gen. & Cyrill. lib.4. in Gen. (4.) Canaanem fuisse patri similem: *uno corpore uterque utebatur & mente, eademque malitia*, uti loquitur Ambrof. d arc. c. 32. Imo Canaanem prius aspexisse avum, quam Chamum, patrique id indicasse; merito igitur percussum esse maledictione. Tertull. lib. IV. contr. Marc. Theodor. q.57. in Gen. & Procop. comm. ad l.c. Beresch. Rabba sect. 37. Quæ postrema ratio nobis quoque probatur. Tacet quidem Deus nomen Chami, sed ex indignatione, *siquidem id Spiritus Sanctus odit, quod profecto grave odium est.* Ait Luth. enar. f.154. (6.) *Omniscientia.* Nam novit etiam intima cordis sensa. Gen. VIII. 21. Figmenta cogitationum humanarum dicit esse mala ab ineunte ætate, quod nosse non potest, nisi is, qui omnia novit. *Dicis.* Gen. XI.5. legitur Deus descendisse, ut videret, quid homines facerent. E. nescivit antequam descenderet. Resp. Luther. enar. in Gen. f. 168. *Descendere hic Deus dicitur, quasi prius non fuerit præsens. Nam* dum

Obj. Ry. Obj. 2. Ry. 1. 2. 3. 4. 6. Omniscientia. Obj. 2. Ry.

dum ferveret iste impiorum contemptus, & Noah vaticinium rideretur, Deus abesse judicabatur. & ignorare, quæ à filiis Ham tentarentur. Postquam autem completum peccatum est, descendit Deus, i.e. tum demum sentitur adesse, & irasci. Hæc ille. Distinguendum igitur inter omniscientiam, & ejus manifestationem. Non enim tum demum Deus scivit res gestas hominum, cum descendit, sed manifestavit se scire, cum institutum confudit. Audiamus veteres. Philo de confusione linguarum libro non ineptè locum explicat: *Dicitur*, inquiens, *Deus descendens visere, qui omnia prius etiam, quam fiant, clarissime prævidet; ut doceamus, ne quis homo de absentibus rebus & incertis putet, se certum posse judicium facere; sed propius introspecto negocio diligenter cuncta perlustret. Visus enim certius adhibendus est potius, quam fallax auditus.* Hæc ille. Sequitur ipsum Chrysost. hom.30. in Genes. *vult*, inquiens, *hinc erudiri nos, ne unquam temerè fratres condemnemus, neque solo auditu judicemus, nec, nisi prius compluribus argumentis certi reddamur.* Subscribit Rupert. lib. 4. in Gen. c.41. August. lib.XVI. C. D. c.5. nonnihil aliter. Confer Perer. lib. XVI. in Gen. XI. *Futurorum* etiam merè contingentium præscius est Deus, utpote cujus impulsu de hisce ante, quam fierent, locuti sunt Prophetæ Gen. IX. 25.

Obj. 2. *Dicis*: Deus dicitur esse recordatus Noachi. Gen. VIII. 1. oblivio igitur cadit in Deum? Resp. Chrysost. hom.26. in Gen. *dilecti, intelligamus hæc, ut dignum est de Deo intelligere, & crassa hæc verba naturæ nostræ infirmitati adscribamus.* Pergit, *Quid est, & recordatus est? Misertus est, dicere vult, justi in arca agentis.* Et Lutherus: *Etsi verum est, quod Deus semper recordetur suorum, etiam cum eos deseruisse videtur, tamen Moses hic significat, recordatum fuisse suorum, etiam quoad sensum h.e. signo, & manifesta ostensione ejus, quod antea in verbo & spiritu promiserat.* Confer Glass. Rhet. sacr. §.123. & ex Vetustioribus Theodoret. quæst. 52. Eucher. comm. in Gen. VIII. c.41.

7. Sapientia. (7.) *Sapientia.* Deo docente Noachus arcam sapientissimè construxit. vide Chrysost. hom. 25. in Gen. Sed & ex linguarum confusione elucet eadem sapientiæ virtus. Nam multo labore opus non erat, turbare cœptum opus, sed sola linguæ immutatione, ne quisquam alterum intelligeret. Et quis omnia adduceret sapientiæ argumenta? Nihil non est, ex quo istius clarissimi radii, si opera Dei intuearis, non elucescant.

(3.)

(8.) *Voluntas* Dei liberrima fuit. Nam ipse à nemine vel jussus, vel coactus facit, quæ fiunt, & ipso jubente & volente, fecit Noachus, quæcunque bene fecit. (9.) *Veritas.* Elucet ex Gen.VI.7. collato cum c.VII.19.20. Nam quod ibi prædictum est de interitu omnis carnis, idem hoc loco adimpletum esse docetur. Ex Gen.IX.15. collato cum eventu. Nam Cananitæ ab Israëlitis aut deleti, aut in servitutem redacti sunt: v. 26. Messias ex Semi posteris prodiit. Luc.1.68. Japhetitæ ad Ecclesiam vocati sunt. Gen.IX.27. Eph.II. 19.20. Gen.X.1. seqq. recensentur genealogiæ Noachitarum, ut creverint, & sese multiplicaverint, sicut erat prædictum. Gen.IX. 1. *Objicis.* Gen.VI.3. Deus concedit spatium 120. annorum pœnitentiæ agendæ, quo exacto, diluvium comminatur. v.7. seqq. Natus autem jam tum Noah erat 500.annos. Gen.V.32. At diluvio exundante idem erat 600 annorum tantum. Ergo inter comminationem & executionem tantum 100. anni intercedunt, non 120. quot tamen Deus concesserat. Resp. Chrysost. hom.25. in Gen. spatium 120.annorum esse conditionatè intelligendum, si interea resipuerint; cum vero id non fecissent, *qui in 100. annis converti noluerint, quid amplius proficerent ex annis 20, quam quod plura adjicerent peccata?* Amputavit igitur Deus 20. annos de concesso pœnitentiæ spatio. Sic & Glyc. part. 2. annal. Albin. qq. in Genes. Hugo in glossa. Duriusculam autem hanc explicationem vocat Pererius t. 2. in Gen. VI. §.104. Nec immerito. Deus enim, cum sit misericors, nec velit mortem peccatoris, sed vitam; verax etiam, non solet spatium pœnitentiæ disertis verbis & sine conditione promissum, decurtare. Vide Rivet. exerc. in Gen.LI. f.210. *Alii* igitur, & in his Eucherius c.37. in Gen.VI. dicunt: *intelligendum est hoc Deum dixisse, cum circa finem 500. annorum esset* (Noah) *i. e. 480. vitæ annos ageret, quos more suo scriptura 500. vocat; nomine totius maximam partem plerumque significans.* Idem tamen decurtationem 20.annorum statuit in sequentibus, quod manifestæ literæ Gen.VII.11. reclamat. Nam 600.annos natus erat Noah, cum diluvium ingrueret. Rectius igitur statuitur πρόληψις, Gen. VI. 32. Ticonius apud August. lib.3. de doctr. Christ. c. 36. inter alias scripturæ interpretandæ regulas, & hanc ponit: *Divinæ scripturæ mos est, aliqua per anticipationem narrare, ut scilicet antequam*

8. Voluntas. 9. Veritas. Obj. R. 1. 2. 3.

facta fuerint, quodammodo perfunctoriè narrentur, ut postea suo ordine res quaque gesta, latius describatur. Exemplum habetur Gen. VI. 32. ubi narratur de filiis Noæ genitis anno 500. Noachi & sequentibus: Prius autem, quam hi nascerentur, & Noah tot esset annorum, Deus cum ipso egerat, quæ c. VI. narrantur, ut sit in c. VI. ὑστερολογία; qualis figura etiam occurrit Gen. XI. 1. seqq. Nam refertur confusio linguarum, quæ prius facta erat, quam divisio gentium, relata c. 10. præcedente. Nostra igitur sententia Noachus agebat annum ætatis 580. cum Deus concederet impiis spatium 120. annorum resipiscendi, ut usque ad 600. annum ejusdem ætatis effluxerint 120. ann: pœnitentiæ agendæ, & initio diluvii destinati. Vide Rivet. Exerc. 51. in Genes. (10.) *Perfectio.* Elucescit ex ipsis creaturis à Deo conditis in perfectione, imprimis autem in homine, ad imaginem Dei creato Gen. IX. 6. (11.) *Majestas.* Patet ex lege de jure necis & vitæ à Deo lata. Gen. IX. 5. 6. (12.) *Beatitudo.* Colligitur ex benedictione, quam Deo tribuit Noachus. Gen. IX. 26. Benedictus enim qui est, beatus est.

10. Perfectio.
11. Majestas.
12. Beatitudo.

Identitas.

§. 12. Esse hæc divina attributa *eadem* cum essentia divina, patet ex voce יהוה, quæ docet, Deum nihil esse, & habere, nisi suam essentiam. Attributa igitur, quæ Dei sunt, sunt illa ipsa Dei essentia, quæ ipsum denominat יהוה.

(6.) *Opera.*
(1.) Creatio.

§. 13. *Opera* divina illustriora, sunt (1.) *Creatio.* Principium cognoscendi duplex est, naturale, & supernaturale. Istud patet ex creaturis, quæ de creatore testantur. Sirac. XLIII. Rom. I. 19. Hoc est revelatio divina, quæ fit per verbũ prædicationis, vel lectionis: Atque hoc demum est illud principium, quod solidam de creatione facit fidem. Hebr. XI. 3. Unde Chytræus comm. in Gen. f. 290. conjicit ex fabula de Prometheo, *quod ex ipsius sermonibus doctrina de creatione Protoplasti ad gentes emanarit.* In populo Dei fuisse notam, ex sacrificiis constabat; Nam oblatis vel bestiis, vel frugibus, contestabantur, se debere Deo, quidquid bonorum possiderent. Gen. VIII. 20. Confirmabat fidem Deus post diluvium, benedicendo ipsis, & bestiis, & terræ; Nam hoc ipso declarabat, sese auctorem esse omnium istarum creaturarum. *Typus* erat agricultura Noachi, ut facundè disserit Philo in lib. de plantatione Noe. (11.) *Gubernatio seu providentia.* Antequam in mundo

Typus. (2.)
Gubernatio.

do quicquam fiat. Deus prius ſecum, ut fiat, *decernit.* Gen. VI.7. extat exemplum. Habetur quidem verbum: dixit, & exponitur à quibusdam de λόγῳ προφορικῷ, quod Deus ad Noachum dixiſſet. Sed præſtat de ἐνδιαθέτῳ explicare, quod Deus in corde ſuo dixerit. *Sane ab æterno factum erat illud decretum, quia, quidquid Deus in tempore agit, ab æterno decreverit, ſed quia intuitu extremæ hominum malitiæ factum eſt, ideo poſt malitiæ illius deſcriptionem hoc decretum deſcribitur.* Gerh. comm. in l.c. Decreto facto, exequitur, quod vult. *Objectum* ſunt omnes omnino creaturæ, ſive homines, ſive beſtiæ, ſive plantæ, & quidquid denique fuerit. *Hominum* alii ſunt boni, alii mali. Iſtos ab exitio præſervat, mediis à ſemetipſo ordinatis, ut videre eſt in Noacho, quem cum familia ſervavit in arca; Hos verò reſipiſcere noſentes exitio tradit, ut incredulos diluvio extinctos. Solet autem plerumque punire per id, quo quis peccat: ut colligit Auguſt. de peccat. merit. & remiſ. lib. 2. c. 4. ex Noachi exemplo. *Ideo punit peccatum Patris peccato filii irriſoris, ut, qui cœleſtis imaginem temulentia deformarat, proprio filio ſuo ludibrio eſſet.* Theodoretus quæſt. 58. in Gen. idem exemplo Chamii illuſtrat: *Quia enim*, inquiens, *cum filius eſſet, in Patrem deliquit, ob id per filii maledictionem pœnas luit.* Judæi tamen aliter de Chami pœna referunt, nempe oculos eſſe factos rubicundos, labia detorta, capitis barbæq; cæſariem aduſtam, præputium retractum, ut ex libro Tanchuma refert Schotan. de ſec. m. æt. f. 39. Manifeſtiſſime omnium colligitur ex Gen. XI. 1. 7. 9. Nam peccabant lingua, quæ una erat, & omnibus ſingulorum ſenſa revelabat; lingua igitur turbata, & in multas diſtributa, puniti ſunt, obſervantibus Chryſoſt. hom. 30. in Gen. Auguſt. C. D. XVI. 4. Eucher. l. 2. comm. in Gen. XI. c. 7. Procop. ad l.c. In gratiam hominum modo ſic admirando Deus res noſtras gubernat, ut vel in conſcientia impii convincantur, eſſe Numen, quo omnia regantur. Philonis eſt obſervatio in lib. d. lingg. Conf. f. m. 264. *Profecto* (ſic fatur) *Conſcientia redarguit in pectore; &, quanquam contemptores Dei, ſtimulat, ut vel inviti cogantur intelligere* περὶ τοῦ τὰ κατὰ ἀνθρώπους πάντα πρὸς ἀμείνονος φύσεως ἐφορεῦσθαι, καὶ δίκην ἐφεστάναι τιμωρὸν ἀδέκαστον, ἀσεβῶν πράξεις ἐχθαίρουσαν ἀδίκους, καὶ λόγους τοὺς συνηγόρους αὐλαῖς. i. e. *humanas res adminiſtrari à natura præſtantiore, & eſſe juſtitiam, quæ*

1\. Decretum.

2\. Objectum. ut *Homines*, qui vel boni vel mali.

implacabiliter scelera vindicet, infensam injustis impiorum facinoribus, & etiam eis, qui his patrocinantur. Hæc ille. Pios quidem extremis interdum tentationibus permittit, ut de sua justitia & ope desperantes solum Deum salutis suæ auctorem recognoscant. Exemplo sit Noachus, in diluvii undis ab omni humana ope destitutus, sed à Deo servatus. Nec est, cur quidam destinguant inter creaturas superiores, & inferiores, & res arduas & leviores, quasi superiorum tantum, & arduarum, non aliarum curam gerat in infima terra: *Descendit enim Deus* (Gen. XI. 5.) *i. e. habuit se ad similitudinem descendentis, quatenus extendit se, non quidem corporali motu, sed cura & providentia, usque ad hæc infima, humanas scilicet actiones, & singula in hæc corpora, qualia sunt civitas, & turris.* Cajet. comm. ad l. d. Nec de hominibus tantum, etsi præcipuè, sed etiam de *bestiis* Deo curæ est. Gen. VI. 19. 20. VII. 2. 3. jubet & bestias in arcam recipi; VIII. 17. eisdem mandat egredi. Nam & harum memor fuit in arca. v. 1. *Magna & ineffabilis Dei misericordia, excellensque ejus bonitas, ex jam dictis ostenditur, quam non solum erga rationale hoc animal, hominem dico, sed & erga brutorum animalium declaravit naturam. Nam cum omnium sit conditor, in omnia, quæ à se sunt condita, suam ostendit bonitatem. Per omnia notum faciens, quantum humani generis curam gerat, & quod omnia olim, & ab initio propter salutem nostram fecerit.* Verba sunt Chrysost. hom. 26. in Genes. VIII. 1. confer hom. 25. Brent. & Lyser. in Noach. ad Gen. VIII. 17. Vapulat ergo Grotius, sentiens, quod *ostendat hic* (Gen. IX. 3. seqq.) *Deus, homines à se curari singulos, aliorum animantium sola tantum genera, & imperfectiora à se ordinari in usum perfectiorem.* Secutus Judæos. R. Maimon. in More Nev. c. 136. qui putant, *nulla individua corruptibilia subjacere divinæ providentiæ, nisi homines, propter intellectum, qui est incorruptibilis.* Refutantur à Dn. D. Calov. in Grot. Elench. ad IX. 3. Gen. Præter bestias divinæ curæ subjacent & alia, e. g. anni tempestates. Gen. VIII. 22. Nam Deus promittit distincta anni tempora, & vicissitudines, secus quam hactenus fuisset, omnibus diluvio turbatis. Ordinat enim distincta tempora sementis & messis, frigoris & fervoris, hyemis & æstatis, dierum ac noctium; Utilissimo hominibus instituto. Nec enim

Bestiæ.

Etiam individuæ.

Tempestates anni.

Res

Res hunc teneræ possent perferre laborem,
Si non tanta quies iret frigusque caloremque
Inter, & exciperet cœli indulgentia terras.

§. 14. Hactenus Theologia Noachica ex antiquitatibus Mosaicis derivata. Coronidis loco subjungimus probationem, quod isthæc, ut scripsimus, sciverint, & crediderint ejus Ecclesiæ fideles. Dei (1.) *Nomina.* Nam Noachum scivisse vocem יהוה, patet ex Gen.VIII.20. ubi ליהוה erexit altare, & sacrificium obtulit, illudque gratiosum: Novit igitur illum, cui obtulit. Joh.IV.22.24. Scivisse & nomen אלהים, ex benedictione Gen.IX.26. patet. Nam voce ista utitur. (2.) *Essentiam*, quod una sit, hoc ipse scivit, quia scivit, Deum esse יהוה; qui unus est. (3.) *Personarum pluralitatem & Trinitatem.* Credidit enim in verum Deum, qui est unus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, quas personas nosse oportet, si velis verum Deum nosse. Vide Dn.D.Hülsenm.Brev. Theol. extens. cap.II. §.7. (4.) *Attributa.* Partim ex revelatione, partim ex creaturarum contemplatione, & deductis inde argumentis sciverunt fideles, Deum esse unum, bonum, misericordem &c. Vide §.10.11. (5.) *Opera*, ut sunt creatio & gubernatio, patent vel hodie ex divina revelatione, & creaturarum contemplatione, quantò magis tum, cum adhuc longæviores essent? Neque putes, ex peculiari tantum revelatione uni vel alteri constitisse de hisce credendis. Nam eadem est omnium fides, idemque fidei objectum, & salvandi modus. Actor.XV. 11. Neque suo Ecclesiæ ministri officio deerant, explicantes mysteria veræ religionis. Confer. Eccles. antediluv. p.73.74. part.1. §16.



Sectio II.

ΧΡΙΣΤΟΛΟΓΊΑ.

Argumentum.

Articulus de Christo in scriptis Mosaicis continetur. Nempe ipsius Nomina; Nam dicitur Deus, homo, cor Dei, Nomen seu Verbum: Typi, ut nomina Patriarcharum. Naturæ duæ, divina & humana, unita ad unam personam, & invicem sibi communicantes; Etiam idiomata, quorum communi-

municatio in tria genera distribuitur, quorum tertium sub sese complectitur officia Christi; propheticum, sacerdotale, & regium; quod est regni potentia, gratia, & gloria. Statum duplex, vel exinanitionis, vel exaltationis.

§. I.

Χειϛολογία Mosaica.

REmittit Christus homines ad Mosen, quod de se scripserit. Joh. V. 46. Nullum autem appellat locum præcise, innuens, in singulis fere paginis de illo æterno Dei Filio haberi. Quæramus igitur eundem & in illis locis, ubi de Ecclesia Noachica Moses scripsit. *Quem enim non moveat ad quærendum & intelligendum Christum in illis libris, ut ea omittam, quæ, quamvis tanto suavius contemplentur, quanto ex abditioribus locis enucleantur; Tamen exigunt prolixitatem dissertationis, quia pluribus attestationibus indigent.* Scribit August. lib. XII. contr. Faust. Manich. t. 1. c. 14. Adversus Manichæos, negantes, *in libris Hebræorum aliquid de Christo esse prophetatum.* lib. XV. C.D. c. 26. Cyrillus lib III. in Joh. c. 10. nobis suffragatur, scribens, *Mosaicam scripturam figuris & umbris (ut pædagogus solet) ad Christi mysteria conducere, &, quæ ibi scribuntur, quasi elementa esse quædam Evangelicæ scripturæ. Disciplina namque legalis Christus est finis, ut scribitur* Rom. X. 4. *Impletio legis & prophetarum Christus.* Hæc ille. In istis figuris erant sacrificia. *Scripsit enim de eo Moses, cum instituit varia genera sacrificiorum, quæ fuerunt conciones de Jesu Christo.* Judice Brent. comm. in l. c. Joh. Deprehendimus autem sacrificia etiam in Ecclesia Noachica Gen. VIII. 20. 21. adeoque Christum in ea revelatum.

Christi (1.) *Nomina* ut 1. Deus.

§. 2. *Nomina* Messiæ varia fuerunt. Dicitur (1.) יהוה אלהים *Deus Dominus Sem.* Gen. IX. 26. quem locum de Christo intelligendum esse, probavimus sect. 1. §. 8. Confirmatur suffragio B. Lyseri: *vocat Messiam Deum Semi, quod dupliciter intelligi potest, vel, quod sit ille Deus, qui Semum cum posteritate sua clementer sit respecturus, & defensurus, vel, quod ex ejus linea & posteritate sit exoriturus.* (2.) *Homo.* Gen. VIII. 21. Nam Deus propter ipsum veniam peccantibus promittit, quod in solum Christum quadrat, in quo diligimur. Eph. I. 6. Nec in ullo alio veniam peccatorum consequi possumus vel nos, vel nostri Patres. Actor. IV. 21. XV. 11. Vide Chytræum & Ly-

2. Homo.

& Lyserum comm. ad l. c. (3.) *Cor Dei.* Gen. VIII. 21. Hebræa 3. Cor Dei.
enim ita sonant: Et dixit Deus אל־לבו *ad cor suum.* Chaldæus vertit: *Dixit Dominus ad verbum suum*; nempe ὑποστατικὸν Joh. I. 1. 1. Joh. I. 1. Theodotion in hunc modum: εἶπε Κύριος πρὸς τὴν καρδίαν αὐτοῦ. i.e. *Dixit Dominus ad cor suum*, nempe Filium, qui est *corde natus ex parentis*, juxta Prudentium. Hic igitur *neminem alium intelligere possumus, quam ipsum æternum Dei Filium, qui est Deus de Deo, Lumen de Lumine, consubstantialis Patri, splendor gloriæ & figura substantiæ ejus, qui est in sinu Patris, corde natus ex parentis, ante mundi exordium, ut canit hymnus nativitatis* Christi. Verba sunt B. Lyser. p. 231. in Noah. Confer. Glas. Mosaisch Geschicht. p. 480. 4. Nomen seu verbum.
(4.) *Verbum.* Sic aliquoties appellatur à Paraphrasibus Chaldaicis, Gen. VI. 7. ubi habetur in Hebræo: pœnitet me, Chaldæus vertit: *Pœnitet me in verbo meo.* VII. 16. ubi Hebræi fontes habent: Et clausit Deus post ipsum; Thargum habet: *Memra occlusit januam.* VIII. 1. fontes legunt: Deus recordatus est: Sed Thargum: *Memra Dajova misertus fuit Noa.* Ita ad Gen. IX. 12. 13. 15. XI. 8. vide R. Salom. Judæum conversum in 37. demonst. 10. seqq. Alludere videntur Thargumin ad vocem Sem. Gen. IX. 26. quæ *nomen* significat: *In cujus posteritate nomen Domini semper manebit, donec Nomen ipsum, quod est supra omne nomen, de cœlo descendat, & in Semi posteris humanam naturam assumat.* Chytræ. in h. l. *Sem quippe*, ut Augustinus loqui amat, *de cujus semine in carne natus est Christus, interpretatur: nominatus. Quid autem nominatius Christo, cujus nomen ubique jam fragrat, ita, ut in cantico canticorum, etiam ipsa præcinente Prophetia, unguento comparetur effuso, in cujus domibus, i.e. Ecclesiis habitat gentium latitudo. Nam Japhet latitudo interpretatur.* lib. XVI. C. D. c. 2. Quod de nomine Semi diximus, idem de reliquis Patriarcharum nominibus potest intelligi: *Omnia Patriarcharum nomina, ex quibus Christus secundum carnem natus, mysticè ad ipsum accommodari possunt.* Mystica nomina.
Sem *significat celebratum & illustrem.* Arphachsad *est effundens lumen, vel sanans vastitatem.* Sela *est missus.* Heber *peregrinator, transiens.* Peleg *divisor*; Reu *pastor, amicus, socius.* Serug *ramus, propago.* Nachor *adustus, combustus.* Therah *refrigeraturus, refocillans odore.* Abram *pater excelsus, vel multitudinis.* Gerh. comm. in Gen. XI. p. 277. 278. post Adamum Reusnerum.

nerum. cujus de Messia libellum allegat. Confer. Orig. 2. hom. in Gen. Gerh. Loc. IV. Exeg. §. 31.

(II.) *Natura, divina.* §. 3. Ex nominibus *naturæ* Christi facile possunt erui (1.) *Divina:* Ex Gen. IX. 26. ubi Messias dicitur: *Jehova Elohim.* Quo de loco jam ante dictum. ex v. 27. ubi versio Chaldaica sic habet: *Et habitet divinitas ejus in tabernaculis Sem.* In Hebræo est שכן, unde שכינה, quod vertunt, divinitas, majestas. Rabbini enim scribunt: לא נאמר ושכנתי אלא על כבודו של הקב״ה, i.e. *Non dicitur:* & habitabo: *nisi de majestate Dei sancti benedicti.* Confer Fag. in notis ad Paraphr. Chald. l.c. Fuller. misc. sacr. lib. 2. c. 4. (2.)

& humana. *Humana.* Nam clarè dicitur *Homo.* Gen. VIII. 21. Futurus ex stirpe Semi. *Hæc enim prophetica* Gen. IX. 26. 27. *certissimum finem habuit mysterium dispensationis, quando Deus verbum, Dei & Patris Filius unigenitus, incarnatus est, & homo factus, & carnem, quam accepit ex semine David, & Abraham, templum suum nominavit. Nam ex Sem hi quoque originem duxerunt. At servitus Chanaan in Gabaonitis finem cepit.* Theodor. q. 58. in Gen. Textus ipse digitum intendit voce שכן *habitare.* Nam שכינה usitata phrasi scripturæ significat manifestationem majestatis & gloriæ divinæ, quæ tum maximè apparuit, cum Deus manifestatus est in carne. Joh. I. 14. Col. II. 9. vide l.c. Fuller. Lucas Evangelista c. III. 36. recensens genealogiam Messiæ, à Semo orditur, digitum intendens ad vaticinium Noachi, quod Messiam in tabernaculis Sem locavit. Tertullianus lib. contr. Prax. c. 16. ex Gen. III. 9. VI. 6. colligit futuram tum Christi humanam naturam: *Affectus humanos*, inquiens, *sciebat* (*Messias*) *jam tunc, suscepturus etiam ipsas substantias hominis, carnem & animam. Interrogans Adam, quasi nesciens, ubi es, Adam? Pœnitens, quod hominem fecisset, quasi non præsciens.* Sunt, qui ex pietate Semi & Japheti, patrem tegentium, colligunt futuram Christi incarnationem. Dicuntur enim hoc fecisse ex reverentia erga Messiam, ex lumbis Noachi descensurum.

(III.) *Unio personalis.* §. 4. Ex duabus hisce naturis componitur una simplex *persona* θεάνθρωπος per unionem personalem. Quodcunque enim Moses de Messia loquitur, sive ut Deo, sive ut homine, numero utitur singulari, Deus. Gen. IX. 26. vel homo Gen. VIII. 21. Nec obstat vocabulum אלהים Gen. IX. 26. quod Messiæ assignatur. Etiamsi enim

enim & plures personas significet, tamen & uni potest attribui, propter essentiæ identitatem. Vide Polan. Syntag. lib. 2. c. 6. Oportet igitur duas istas naturas unione personali in unum ὑφιϛάμενον coivisse. Est autem unio personalis assumptio humanæ in ὑπόϛασιν divinæ naturæ. Assumens est λόγος, qui dicitur Jehova Dominus. Gen. IX. 26. Assumptum est humana natura ex stirpe Semi. v. 27. Vocatur *tabernaculum*, שכינה, σκηνὴ, σκήνωμα: *Simplicem & dilucidam vocabuli explicationem hanc opinor esse, nempe ut* השכינה *id dicatur, per quod Deus, quum singulari quadam ratione inibi habitaret, peculiari idem & sensili modo Israelitis præsentiam suam exhibuit, sese apud eos habitare testatus est, proprio divinæ cujusdam prærogativæ beneficio. Humana igitur Christi natura, longè excellentissimè omnium, quæ supra recensuimus, & quam maximè propriè, propter hypostaticam unionem, nomen* השכינה *sibi vindicat.* Verba sunt Cl. Fuller. l. c. Illustrat ex Col. II. 9. ubi tota plenitudo Deitatis in Christo, quoad humanam naturam, *habitare* dicitur. Paulus utitur voce κατοικεῖν, quam LXX. etiam σκηνοῦν & κατασκηνοῦν vertunt: Retinent ad Gen. IX. 27. Adhuc clarius Johannes I. 14. ubi scribit: *verbum caro factum est:* quomodo? *Et habitavit inter nos:* Semitas putat, quibus promissum erat. Habet autem ἐσκήνωσεν, unde σκηνὴ, *tabernaculum*, nec amplius de sensu vaticinii Gen. IX. 26. 27. dubites. Habitare igitur est carnem ex hominibus assumere, & Deitatem suam manifestare in carne. Vide Walther. offici. Bibl. d. script. in spec. p. 737. 738.

(IV) Communio naturarum.

§. 5. Ex eodem loco colligitur mutua *naturarum communio.* Nam dicitur Deus ipse habitare in tabernaculis Sem. Humana igitur natura est domicilium & templum, illudque proprium λόγυ inhabitantis. Comunioq; intercedit Deo cum isto templo, quod sibi appropriavit, tam arcte, ut Dominus Deus Semi dicatur, non Japheti, neq; Chami. Comunicavit autem divina natura humanæ ὑπόϛασιν, ut *homo* diceretur. Gen. VIII. 21. Homo est vox personæ, quæ sic dicitur ab ὑποϛάσει, quæ carnis non erat propria futura, ne persona multiplicaretur, sed accepta ex Deo Domino Semi. Dum igitur ex duabus naturis factum est unum ὑφιϛάμενον, necesse est mutuam naturis intercedere comunionem, ex parte quidem λόγυ activam: Nam ille inhabitat, permeat, perficit; tabernaculi vero, i.e. humanæ naturæ

P passi-

passivam; Nam inhabitatur, permeatur, perficitur. Evidentius apparet ex phrasi Johannæa c.1. *verbum caro factum est*: quæ explicat istam: Deus habitabit in tabernaculis Sem. Nam ubi unum de altero in concreto affirmatur naturæ, naturas opus est arctissimè esse unitas, sibique invicem participes, ut unum exinde nascatur ὑφιςάμενον. Typus illustris erat arca, & propitiatorium, ubi Deus peculiari ratione præsens & vocalis erat, secus ac alibi locorum.

V.) *Communicatio* idiomatum: 1. Genus.

§. 6. *Idiomatum communicatio* liquido hinc fluit. Et quidem (1.) *genus.* Nam Dominus Deus Semi dicitur habitaturus esse in tabernaculis Sem, quod Johannes ita reddidit: Verbum caro factum est. Item Messias dicitur: Dominus Deus Semi, scilicet Filius, seu Semen. Quæ prædicationes pertinent ad 1. genus. Nam ibi concretum naturæ humanæ prædicatur de concreto naturæ divinæ. (2.) *Genus.* Colliguntur ejus fundamenta ex Gen. VIII. 21. ubi Deus promittit veniam propter hominem, i.e. Messiam. Homo igitur ille virtutem habuit divinam placandi Deum; neque vero illam habuit ex sese, quia hominis, qua talis, finita est virtus; Habuit igitur sibi comunicatam à λόγῳ, qui est Deus Dominus Semi, assumptam naturam humanam omni deitatis plenitudine erat dotaturus. (3.) *Genus.* Elucet ex phrasi: Benedictus Deus Dominus, sive: Deus Dominus Semi sit benedictus. *Loquitur* enim *hic* (Noah) *non de corporali benedictione, sed de benedictione futura per Semen promissum. Quam tantam videt esse, ut explicari verbis non possit, ideo se vertit ad gratiarum actionem.* verba sunt B. Luth. enar. f.155. *Quia Noachus ex prophetico Spiritu prævidet, quod Messias ex Semi posteritate esset nasciturus: ideo orationem, non ad Filium, sed ad Messiam, dirigit, eum prædicans, concelebrans, & de eo vaticinans. Atque sic paulo ante mortem suam in paucis verbis egregiam edit confessionem de Messia, ejusque genealogia, persona, officio, & beneficiis: Sicut patres ferè brevi Laconismo res maximas sunt complexi.* Lyser. in Noach. p. 358. Ex dictis patet, sermonem esse de benedictione spirituali. Hæc autem duplex est, vel enim benedicunt homines Deo, ipsum laudando & celebrando; vel Deus hominibus, ipsos in gratiam recipiendo, justitiam Christi donando, æternum salvando. *Christus non tantum benedictus est ea ratione, qua est omni laude prædicandus; sed & essentia-*

2. Genus.

3. Genus.

liter

liter, sive effectivè, quâ ita benedictione abundat, ut eandem aliis communicare possit, ut ex plenitudine ejus nos omnes accipiamus gratiam pro gratia. Ipse enim est benedictum illud Abrahæ Semen, in quo benedicentur omnes gentes terræ (Joh. I. 16. Gen. XXII. 18. Eph. I. 3.) *Et in Christo Deus nos benedixit omnii spirituali benedictione in cœlestibus. Atque sic respicit Noachus ad officium Messiæ, quod futurum est, ut sit sacerdos, nobis benedicens.* Hæc idem. Fundamentum igitur benedictionis divinæ passivæ, quâ illi gratias agimus, est beneficium benedictionis activæ, qua nobis ille benedicit in Christo. Hoc vero Christo competit secundum utramque naturam, quâ Deus est, & quâ Semi est.

§. 7. *Officia* Christi tria sunt (1.) *Propheticum.* Cujus aliquod saltem analogum est revelatio divinæ voluntatis, jam in V. T. facta per Filium Dei, cum hominibus familiarius conversantem. *Ipse enim & ad humana semper colloquia descendit ab Adam usque ad Patriarchas, & Prophetas, in visione, in somno, in speculo, in ænigmate, ordinem suum præstruens ab initio semper. Quæ erat persecuturus infinita, semper ediscebat, & Deus in terris cum hominibus conversari alius non potuit, quam sermo, qui caro erat futurus. Ediscebat autem, ut nobis fidem sterneret, ut facilius crederemus Filium Dei descendisse in seculum, si & retro tale quid gestum cognosceremus.* Tert. contr. Prax. c. 16. Congrua est sententia scripturæ dictis, & exemplis. *Dictis.* Nam verbum Prophetarum & Apostolorum, est verbum Domini nostri Jesu Christi. Actor. VIII. 25. XIII. 48. XV. 36. Sine quo nemo cognoscit Patrem Matth. XI. 27. Nam ille ἐγκόλπιος Patris Filius arcana nobis enarrat. Joh. I. 18. Ejus erat Spiritus, qui prophetis futura indidit. 1. Pet. I. 11. vid. Dn. D. Calov. de præex. Filii §. 125. cap. 14. *Exemplis.* Gen. VIII. 21. Deus *in* & *per* cor suum. i. e. Filium, ex corde gentium, revelat decretum de futura in homines gratia. Onckelos notanter vertit: *Cum Noe sacrificasset, dixit Deus in Memra suo.* vide R. Joh. Salom. demonstr. XVI. p. 89. Iterum Gen. IX. 26. 27. vaticinatur Noah de futuro Messia: quo vero revelante? Filio, qui Prophetas mittit ad docendum. Luc. XI. 49. & habiles reddit, mysteria revelando per suum Spiritum. 1. Pet. I. 11. Atque hæ quasi prælusiones erant officii Prophetici futuri. Gen. IX. 27. prædicitur dilataturus Japhetum: *Hic.* (Jesus Christus) *in novis-*

VI. Officia 1. Propheticum.

probatur dictis

& exemplis.

novissimis temporibus apparens lapis summus angularis, in unum collegit, & univit eos, qui (Eph.II.17.) *longe, & eos, qui prope. h.e. circumcisionem & praeputium, dilatans Japhet, constituens eos in domo Sem.* Verba sunt Irenaei lib.3.adverf.haeref.c.5. Sunt, qui dilatationem istam de vocatione per Evangelium ad Ecclesiam explicant, Luther. enar. 157. quam debemus Christo Prophetae: *vaticinatur clarè, quod etiam Japhet, secundum nomen suum, audiat blandum sermonem Evangelii, ut, quanquam non habeat nomen, quod Sem, qui positus est, ut sit stirps, ex qua nasciturus sit Christus, tamen habeat suadelam, h. e. Evangelium.* Verba sunt B. Lutheri. Neutra explicationum alteri derogat, sed suaviter congruit. Christus enim revelando Evangelium, Ecclesiam suam, gentilibus persuasis, longè latèque propagavit & dilatavit: *Atque sic, ne genus humanum omnino pereat, justificationem, quae in fide futura esset, remissionemque peccatorum, quae per aquam fieret, multis antea temporibus per Filium suum ostendit.* Scribente Cyrillo lib.III. in Genes. confer Glas. Mosaisch. Lehr- und Gesch. Kern. p.480.

(2.) *Sacerdotale,* §. 8. (II.) *Sacerdotale.* Sacerdos fuit Noë; Nam sacrificavit Deo, & gratias egit, sed simul etiam supplicavit pro futura venia, & ex voto impetravit. Gen. VIII.20.21. Typus fuit in hoc officio Christi, semetipsum aliquando oblaturi. Hebr. IX.11. seqq.

cujus est *Satisfactio Activa* & *Passiva.* Absolvitur officium duobus actibus (1.) *satisfactione*, cum activa, tum passiva: *Activa*, quae implet legem divinam obediendo. Elicitur ex Gen.VIII.21. ubi Deus promittit veniam באדם *propter hominem.* Homo igitur iste legem necesse est ut impleverit, pro illis, quorum peccata fecit auferri. Rom. VIII.3.4.5.19. *Passiva*, quâ justitiae divinae satisfecit patiendo & moriendo. *Typus* erant sacrificia, in quibus victima innocens pro homine nocente cecidit, ut futurum Christi sacrificium pro hominum peccatis adumbraretur. Hebr.IX.12.seqq. 1.Pet.I.19. Apoc.XIII.8. Alii typum quaerunt etiam in ostio arcae. Et die sexta. *Sexta feria suspensus est Christus in cruce, nostrum omne pretium ex suo latere, tanquam per ostium arcae, pretiosum sanguinem fudit.* Prosp. d. promis. part.1. c.8. Plura in hanc rem addit, magis ingeniosa, & pia, quam solida. c. 8. addit de ebrio nudoque Noacho Messiae ex charitate ebrii, & nudi in cruce, typo, quae communis est Patrum de Noacho ebrio allegoria.

Effectus

Effectus fuit nostra salus, quam legas in unâ voce *Noah*, Christi clarissimo typo. De quo audiamus Originem homil. 2. in Gen. *Quomodo enim verum erit, quod ille Noë requiem dederit illi Lamech, vel populo, qui tunc habebatur in terra? vel quomodo à tristitiis & labore cessatum est temporibus Noë? vel quomodo ablatum est maledictum terræ, quod dederat Dominus? Ubi potius iracundia divina major ostenditur, & refertur dicere Deus: Pœnitet me, quod feci hominem super terram! Et iterum dicit: Delebo omnem carnem, quæ est super terram. Et super omnia summæ offensæ indicium interitus viventium datur. Si vero respicias ad Dominum nostrum Jesum Christum, de quo dicitur: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi: Et interim, de quo dicitur: factum pro nobis maledictum, ut nos de maledicto legis redimeret: Et iterum, cum dicit: venite ad me, qui laboratis, & onerati estis &c. Invenies hunc esse, qui verè regem dedit hominibus, & liberavit terram de maledicto, quo maledicit ei Dominus Deus.* Hæc ille, satis accuratè ad nostrum institutum. Præmittit enim satisfactionem passivam Christi; quem factum esse dicit pro nobis maledictum, ut nobis à legis maledictione liberatis benediceret; subjungit quietem conscientiæ ex hoc beneficio resultantem. Idem innuitur voce ברוך benedictus Gen. IX. 26. Hac enim voce ostenditur, quod Christus, ex lumbis Semi proditurus, sit benedictum illud Semen, per quod, maledictione legis sublata Gal. III. 13. Pater nobis benediceret omni benedictione spirituali in cœlestibus; Eph. I 3. ut jam simus εὐλογημένοι τοῦ πατρός. Matth. XXV. 34. vide Pelarg. comm. in Gen. IX. Melioris ordinis ergo distribui possunt beneficia, hinc manantia in (1.) *privativa*, quæ tollunt mala cum culpæ, tum pœnæ. Præclarè hoc explicat Cyrillus lib. III. in Gen. *Cum Christus Pontifex noster extitisset, atque Deo & Patri nos in odorem suavitatis obtulisset, tum ejus benevolentiam consecuti sumus, adeoque firmam promissionem accepimus, ut nihil amplius nocere contra nos queat. Soluta enim sunt omnia mala, illiusque priscæ maledictionis supplicia procul à nobis propulsa sunt. Benedictionem enim Christi adepti sumus.* Fundata est hæc sententia Gen. VIII. 21. ubi propter hominem hominibus promittitur securitas à diluvio. Gen. IX. 25. maledictione percutitur Canaan, multo magis autem diabolus, Chami & Canaanis seductor, ut Propheta innuat Messiæ futuri *potentiam, dum Canaanem, i.e. Diabolum*

Cujus *Effectus* est Salus hominum.

Et beneficia sunt vel *privativa*.

bolum, qui ad peccandum Chamum cum omni grege suo impulit, subjectum et futurum denunciat. Walth. officin. Bibl. p. 737. mox subjungitur de Christo, ex lumbis Semi proditur0, ut intelligas, per hunc diaboli caput esse conculcandum, in gratiam hominum benedicendorum. (2.) *Positiva*, sunt reconciliatio Dei, qui, juxta Chaldæum, *in beneplacito accepit sacrificium* Noachi Gen. VIII. 21. Est autem beneplacitum ipsi in Christo Matth. III. 17. Eph. 1. 6. vide Glass. Mosaisch. Gesch. Kern. p. 479. Paulus clarè id insinuat Eph. V. 2. ut Mosen explicasse videatur. Dicit enim de Christo, quod semet ipse obtulerit, *εἰς ὀσμὴν εὐωδίας in odorem suavitatis*. 1. Pet. II. 5. sacrificia nostra placent Deo propter Christum. Est benedictio maledictorum quondam; Namque, *ut principio terra ob Adæ prævaricationem subjecta maledictioni fuerat; Sic ob Christi obedientiam benedictionem assecuta est.* Cyril. lib. 3. in Gen. & sub finem libri, postquam explicuisset typum Christi, Noachum Pontificem, subjungit de Antitypo: *Ergo cum Christus Pontifex noster extitisset, atque Deo & Patri nos in odorem suavitatis obtulisset, tum ejus benevolentiam consecuti sumus, adeoque firmam promissionem accepimus, ut nihil amplius mors contra nos queat. Soluta enim sunt omnia mala, illiusque priscæ maledictionis supplicia procul à nobis propulsa sunt: Benedictionem enim Christi adepti sumus.* Confer Chytræ. in Gen. VIII. 21. Est *salus æterna*, quæ involvitur in fœdere renovato Gen. IX. 9. Præclarè Rupertus Abbas Tuitiensis de vict. verb. lib. IV. c. 34. ad hunc locum scribit: *Deus, accepta fide hominum, dat hominibus eundem Christum Filium; ut salventur per ipsum.* Alter actus sacerdotalis est *intercessio* pro redemptis. Christus futurus erat propitiatio pro peccatis nostris, sacrificiis adumbrantibus, quod fundamentum est officii mediatorii. 1. Joh. II. 1. intercedit autem pro nobis, ut peccata, horumque pœnæ, nobis remittantur, quod & impetrat, Deo, propter hominem illum gratiosum, nobis nobis peccata condonante. Gen. VIII. 21. Plura legas inferius in Ἀνθρωπολ. §. 5.

vel Positiva; nempe reconciliatio Dei.

Benedictio.

Salus æterna.

Et intercessio.

(III.) Regium 1. gratiæ,

§. 9. (III.) *Regium.* Exercuit Christus hoc officium jam in V. Testamento. Est autem regnum Christi (1.) *gratiæ*, quod administrat verbo, Sacramentis, gratioso influxu, & gubernatione; quod videmus ex variis revelationibus, quibus voluntatem suam Noacho detexit, eundemque jussit vel imperata facere, vel bono ani-

animo esse: inprimis illustre opus fuit conservatio in arca, quam ipsi præstitit; Nam *Filius Dei semper adest humano generi, & est custos Ecclesiæ suæ, quam inter pericula protegit, & defendit. Hic quoque sedit ad clavum in arca Noe, & pios Argonautas gubernavit*: juxta effatum Irenæi. (2.) *Potentiæ*: Hujus illustria extant documenta, præsertim diluvium Noachicum, quo judex potestatem suam exercuit scelera vindicando. *Non judicat Pater quenquam, sed omne judicium tradidit Filio, à primordio tamen. Omnem enim dicens potestatem, & omne judicium, & omnia per eum facta, & omnia tradita in manu ejus, nusquam exceptionem temporis permittit: quia omnia non erant, si non omnis temporis fuerunt.* Ita Tertul. advers. Prax. c. 16. Urgens dicta scripturæ Matth. XXVIII. 18. Joh. V. 22. 27. subjicit exempla: *Filius itaque est, qui ab initio judicavit, turrim superbissimam elidens, linguasque disperdens, orbem totum aquarum violentia puniens.* Deus igitur, qui Gen. VI. 17. diluvium comminatur; Et Noachum ingredi arcam jussit c. VII. 1. est Filius Dei; Idem est, qui linguas, eversa turre, confudit. Gen. XI. 5. seqq. Nam opus est judicis Christi, qui semper fuit, est, & erit judex vivorum & mortuorum. (3.) *Gloriæ*. Nam Gen. IX. 26. dicitur Deus Dominus Semi; quod beneficium durat etiam post mortem, viventibus in ipso justis; Et spectat ad regnum gloriæ, in quo beati triumphant. Matth. XXII, 32.

2. Potentiæ.

3. Gloriæ.

§. 10. *Status* est vel (1.) *Exinanitionis*. Fundamentum habet in sacrificiis, Christi typis. Nam ut victimæ olim, sic aliquando agnus, pro mundo occidendus, misere tractabantur, ligatæ, adductæ, cæsæ, combustæ, omnia eum in finem, ut statum Christi in passione futurum adumbrarent. Sunt inter Patres, nec pauci, qui in irrisione Noachi, à filio perpetrata, quærunt typum Christi aliquando à Judæis in cruce & passione ridendi. *Invenimus enim*, scribit Cyprianus, *& in Genesi circa sacramentum Noe hoc idem præcurrisse, & figuram Dominicæ passionis illic extitisse, quod vinum bibit, quod inebriatus est, quod in domo sua nudatus est, quod fuit recubans nudis & patentibus femoribus, quod nuditas illa Patris à medio filio denotata est, & foras nunciata.* epist. 63. ad Cæcil. §. 2. In eandem sententiam explicant factum Hier. contra Luciferianos; August. lib. XII. cont. Faust. c. 23. 24. lib. XVI. C. D. c. 2. in Genes. IX. c. 1. Procop.

Status (1.) Exinanitionis.

cop.Gaz,Beda,glossa ordinaria, Isidorus,in Gen.IX. Ado in Chronico. Longius hæc petita sunt, & dubito, an vel Noachus, vel Ecclesia sub Noacho sic intellexerit. Proclivius erat futuram Messiæ exinanitionem nosse ex protevangelio, quod compunctionem calcanei, in Semine mulieris futuram, enarravit. Dubium autem non est, quin revelationem istam Noah mente tenuerit, suis quoque auditoribus, filiis, nuribus, nepotibus & posteris reliquis assiduè inculcarit, explicarit, & in memoriam revocarit. (2.) *Exaltationis.* Spem suam ponebant in futuro Messia, quæ firma non fuisset, si quidem credidissent, moriturum, sed non resurrecturum, non ascensurum, non sessurum ad dextram Patris, non venturum esse ad judicium extremum; Sic enim mors ipsum, non vice versa, debellasset, ut fiduciam in eo locare non potuissent.

(2.) Exaltationis.



Sectio III.

ἈΝΘΡΩΠΟΛΟΓΊΑ.

Argumentum.

Homo in statu 1. Institutionis creatus ad imaginem Dei; Hac non differt à similitudine Dei. 2. Destitutionis. Existentia, Caussa, divisiones peccati. 3. Restitutionis; Caussa principalis, meritoria; formalis, ut vocatio, eaque immediata, vel mediata, vel supernaturalis. vel naturalis, vel universalis, vel particularis, vel ordinaria, vel extraordinaria; Illuminatio & Conversio, Pœnitentia, justificatio ex sola gratia, merito Christi, per fidem, dimisso peccato, imputatio Christi justitia. Filiatio. Dei inhabitatio; 3. Renovationis; caussa, virtutes in genere; divisa in duas decalogi tabulas. Timor, dilectio, fides, sanctificatio nominis divini, & Sabbati; Tabula prima sunt virtutes. Secunda sunt dilectio proximi, reverentia erga parentes, officium Magistratus; fuga cædis, lascivia, furti, calumnia, Concupiscentiæ. Imperfectio. Inchoatio. Mors hominis, immortalitas animæ. 4. Glorificationis, resurrectio, consummatio seculi, judicium extremum. Vita æterna, damnatio.

§. I.

Status 1. *Institutionis*, ad imaginem Dei.

HOmo consideratur juxta quadruplicem statum. (1.) *Institutionis*, utpote creatus *ad imaginem* Dei, Gen.IX.6. Prohibet

Deus

Deus homicidium, rationis autem loco adducit imaginem divinam, ad quam homo olim creatus fuerit, & cujus adhuc reliquias possideat, sanctè habendas. Fuit igitur imago divina homini olim collata instar sigilli, quo Deus hominem præstitit immunem ab aliena potestate, sibique reservavit jus, eundem, si in legem datam peccaret, plectendi; *Occidens hominem cœlestis regis vivam imaginem demolitur*; Scribit h.l. Chrysostomus. *Objicis*: Si imago divina est adhuc hodie ratio, quod homo non sit occidendus. E. hodie adhuc, post lapsum, eadem durat, nec amissa est. Resp. N. C. Nam (1.) dist. est inter imaginem divinam institutam & restituendam. Etiamsi homo post lapsum, ante sui conversionem, careat imagine divina, tamen eà intentione à Deo creatus est, ut vel retineret ante lapsum, vel post lapsum recuperaret, Christo restaurante, & Spiritu sancto applicante. Joh. I. 16; 2.Cor.III.18. Eph.IV. 24. Col. 1. 10. (2.) Homo Dei peculium est, cum ante, tum post lapsum, statque, caditque suo Domino, ad cujus imaginem olim creatus fuit. Joh. 1. 12. cum igitur nemo privatus dominium sibi in alterum arrogare possit, aut debeat, Deo non jubente; igitur nec manû ipsi inferre violentam. Dn. D. Sebast. Schmidius Collega & Præceptor quondã noster plurimum colendus tr. de imag. Dei. p. 161. naturam imaginis divinæ hinc elicit, verba sunt hæc: *Est* (imago divina) *id, cujus vigore creatura rationalis ab initio legi divinæ subjecta fuit. i. e. vires implendi legem divinam moralem, faciendique omnia, quæ ad legem istam pertinent: atque adeo vera notitia ipsius Dei, omniũq; boni & mali, sanctitas & justitia concreata, atque in natura deposita habitualiter, & ita, ut quosvis sanctitatis & justitiæ actus, ab homine per legem requisitos, præstare homo posset, & vitam æternam, mediante legis impletione, consequi.* Hæc ille. (3.) Dist. inter imaginem totam, & ejusdem reliquias. *Imaginis divinæ adhuc quædam supersunt reliquiæ, eademque non solum ad animam hominis, sed etiam, certa ratione, ad corpus pertinet, quia homicida non animam, sed corpus proximi lædit, & tamen imaginem Dei violare dicitur.* Gerh, comm in Gen. IX. Quæstio autem non est; An reliquiæ imaginis supersint? quod fatemur; Sed an tota? quod negamus. Alia controversia est *de distinctione inter imaginem & similitudinem*, quam urgent Pontificii, Realis, an tantum nominalis ista sit? Prius affirmant Papistæ; posterius

orthodoxi: Probamus sententiam nostram ex eodem Gen. IX. 6. loco. Nam dicitur homo esse creatus ad imaginem Dei; Et non, ad imaginem & similitudinem Dei. Quæ autem ratio alia, nisi ut indicetur, idem esse, creatum esse ad imaginem Dei, & ad imaginem & similitudinem Dei? Animadvertit vim argumenti Jesuita Benedictus Pererius comm. in Gen. c. I. 26. lib. IV. §. 24. Nam, ut probet, distinctionem inter imaginem & similitudinem non esse satis firmam, nec divinæ scripturæ admodum consentaneam, inter alia argumenta etiam nostrum urget locum: *Interdum*, inquiens, *omittitur nomen similitudinis, posita tantum voce imaginis: Sic infra* (Gen. IX, 6.) *legitur: Ad imaginem quippe Dei factus est homo &c.* Concludit: *Manifestum igitur est ex his, quod diximus, harum vocum, imaginis & similitudinis, eandem esse vim & significationem, easque hoc loco ad idem significandum, expressiusque & illustrius declarandum esse positas.* Hæc Jesuita. Tu vero, benevole Lector, animadverte, quod etiam Jesuitis religio non sit, *multorum, atque gravium auctorum*, quos iste §. 22. 23. laudat, *sententiam* deserere, & contrariam amplecti, si veritas contrarium suaserit, ut suadet in controversia hac; Quid igitur nobis, idem aliquando facientibus, succensent? Confer D. Gerh. Loc. de imag. §. 18.

II. *Destitutionis.* 1. *Existentia.* ex dictis & exemplis.

§. 2. II. *Destitutionis.* Nota (1.) *existentiam.* Amissam esse imaginem divinam patet ex dictis, & ex exemplis. *Dictis.* Nam Gen. VIII. 21. dicitur vel *figmentum* hominis, ut est ψυχικὸς, esse malum *ab ineunte ætate.* Imago autem Dei consistebat in justitia & sanctitate. Eph. IV. 24. Dum igitur contraria imago successit, pristina dispaluit. Gen. IX. 6. Dicitur Deus hominem ad imaginem suam *fecisse*; quæ vox est præteriti temporis, innuens, fuisse tempus, cum homo gereret divinam imaginem, quam post lapsum non gerat amplius. *Exempla* idem probant. Nam Noah sapientissimus propheta suis filiis ea nomina imposuit, cum nascerentur, quæ ostenderent, opus ipsis esse Messia aliquo & redemptore, qui à peccato congenito ipsos immunes præstaret, & à pœna maledictionis liberaret. Alterum vocavit Semum, ejusque Deum Dominum laudavit à benedictione, quam maledictis esset exhibiturus; Alterum nuncupavit Japhetum, quod vocandus esset, in posteris suis, per vocem Evangelii ad tabernaculum Semi. Vocavit autem Christus peccatores, non justos. (2.) *Caussa. Efficiens* non est

2. *Caussa: Efficiens* est.

est Deus, sed diabolus, & homo. Gen. IX. 25. seqq. Deus Dominus Semi benedicitur; contra Canaan maledicitur, *Latet mysterium in hac personarum enallage. Reo enim in propria persona maledixerat, propter admissum scelus, quia mali fomes & scaturigo est in ipso homine; At Semi pietate delectatus, Deo maluit benedicere, quia Deum noverat esse auctorem hujus boni.* Verba sunt Samuelis Bocharti lib. 2. Phaleg. c. 1. Aliud mysterium sub iisdem verbis quærit B. Walther. in offic. p. 737. nempe, diabolum sub voce Canaan intelligendum esse. Putat enim denotari Messiæ futuri *potentiam, dum Canaanem, i. e. Diabolum, qui ad peccandum Chamum cum omni grege suo impulit, subjectum ei futurum denunciat.* Diabolus est pater mendacii, & omnium peccatorum, quare etiam peccati à Chamo & Canaane commissi. Si igitur hi maledicuntur seducti, quanto magis seductor ipse Satanas? Cooperantur tamen ipsi homines. Gen. XI. 4. sese mutuo excitant ad turrim struendam. *Videmus* igitur *quomodo impii seipsos mutuo incitent, & impellant ad malum, quasi non satis sit propria cujusque malitia.* Verba sunt B. Marbacchii in Gen. l. c. *Subjectum* mali est totus homo cum omnibus suis viribus. Distinguuntur quidem homines in bonos & malos; Sed si in suis naturalibus considerantur, tantum mali sunt, non boni. Gen. VIII. 21. dicitur figmentum cordis humani ab infantia usque malum esse. Vulgata equidem vertit: *Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt, ab adolescentia sua:* Sed fontes alium sensum reddunt. *Quod enim nos legimus: ab adolescentia; in Hebræo legitur* מִנְּעֻרָיו. *Est autem* נער *præcipitavit, excussit; Potest igitur sensus esse: Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab excussione ejus, i. e. ex quo à visceribus matris suæ excussus est:* Observante quodam Hamero ex ordine Fratrum Prædicatorum S. Theol. D. comm. in Gen. f. 66. Plura ergo sunt versionis vitia. Nam loco: *sensus & cogitatio cordis:* legitur in textu authentico: *figmentum cogitationum cordis.* יֵצֶר à יצר finxit. Quod idem Pontificius observat, & urget Chemnitius part. 1. exam. C. T. p. m. 165. Gerh. Loc. 1. de script. §. 516. de P. O. §. 61. 74. de pec. Act. §. 52. Rivet. exerc. in Gen. 51. Amama lib. 2. Antibarb. ad Gen. VIII. 21. Habemus igitur, quod omnes homines, etiam quoad superiores suas vires, ut est intellectus & voluntas, per naturam corrupti sint. Vocantur

non Deus, sed homo, & Diabolus.

Materialis in qua est *Totus & omnes* homo etiam quoad *superiores facultates* animæ:

tur equidem caro. Gen.VI.3. Sed sub illa carne etiam immateriales facultates intelligi, ex v.5. patet, ubi caro explicatur per *figmenta* cogitationum; Et Gen.VIII.21. ubi paucis immutatis verba repetuntur. Habemus confitentes reos Pontificios, Bell. lib. V. de stat. pec: c.15. Maldon. in Joh. III.6. Perer. lib. XIII. in Gen. t.2. disp. 14. §.119. Innuitur mentis aliud vitium Gen.XI.5. ubi Dominus *descendisse* legitur. *Est hic Theologicus locus*, ait Luth. *qui etiam ostendit, cum piorum, tum impiorum affectus. Sic enim videmus ista geri, dum peccator in actu est, & fervet, non videt, non loquitur, non sentit Deum; Sic enim judicat peccator: Deum non videre, nec sentire, quæ faciat.* Etiam hoc patet, quod in piis quoque lues illa originalis sit. Nam Gen.VIII.21. Deo res est cum Noacho & filiis, qui erant homines pii; Et tamen dicit, figmenta cogitationum, etiam in ipsis, mala esse: Cum hoc tamen discrimine, quod exclusivè non loquatur, sicut Gen.VI.5. neque universaliter. Nam in renatis sunt etiam figmenta quædam bona, per gratiam Spiritus S. inhabitantis introducta. Vide Lyser. in Noach. p.238. Neque immunes sunt, qui ex sanctis parentibus nascuntur. *Deo* enim *sic permittente, sæpe liberi sunt degeneres, & ex justo Noah nascitur impius Cham, ex fideli Isaaco infidelis Esau; Et pio Ezechia Manasse idololatra, ut sciamus pietatem non esse hæreditariam, nec deberi natura, sed gratia;* ingenuè fatente Bocharto lib.2. Phaleg. c.1. Subscribit Riveto Exerc. 51. in Genes. *Reliquiæ* rerum moralium & naturalium adhuc quædam supersunt: ut apparet ex reverentia erga parentem. Gen. IX. 23. Nam inobedientes in parentem peccant contra legem naturæ. Rom.1.30. ut Cham. Gen.IX.25. *Pontificii* ineptiunt, qui ex Gen. VIII.21. voce יצר extorquere volunt liberum arbitrium, ut Cornel. à Lap. in h. l. Nam quæstio non est; an homo habeat liberum arbitrium in malo fingendo, & perpetrando? quod largimur: Neque etiam: an in bono morali? quod etiam damus; sed, an in supernaturalibus bonis? Hoc vero negamus. Ex altera parte vapulant Calviniani, qui actiones hominum fatales esse statuunt. Contrarium enim patet ex Gen.XI.6. Nam dicuntur homines sua sponte turrim struxisse, præter & contra voluntatem divinam, adeoque suo ipsorummet arbitrio, quod Justinus contra Tryphonem urget, f.257.

& membra corporis.

§.3. Pec-

§. 3. Peccatum ipsum quod attinet, duplex est. (1.) *Originale*. Gen.IX.21. figmenta cordis humani dicuntur esse mala à prima infantia, prius nimirum, quam homo malis exemplis offendatur. *Quod ait, omne figmentum cogitationum, extenditur ad eos, qui antecessere, & qui secuti sunt universalem inundationem, siquidem naturaliter remansit in hominibus cupiditas mala, vel aliud quippiam.* Procop. in h.l. Neque est actus, sed *habitus* vitiosus. Nam יצר, *non modo active denotat fictionem, cogitationem, & operationem. Gen. VI, 5. sed etiam passive ipsum plasma & figmentum, & naturalem δύναμιν ac propensionem.* Esai. XXIX. 16. Vide Gesner. in h. l. Et Luther. enar. f. 139. *Non libidinem, non tyrannidem, non alia peccata vocat mala; sed figmentum cordis humani, h.e. industriam, sapientiam, rationem humanam, cum omnibus viribus, quibus etiam in optimis actionibus ratio utitur.* Habituale igitur malum est. Corrupit hominem in rebus, non tantum divinis, sed etiam humanis, Lutherus existimat, *caput X. Geneseos esse tanquam speculum, in quo cernitur, quid nos homines simus, creatura scilicet per peccatum sic deformata, ut nostram originem, imo Deum ipsum conditorem nostrum nesciremus, nisi verbum Dei, has quasi scintillas luminis divini nobis ex longinquo ostenderet.* f. 164. Est veri nominis peccatum. Nam dicitur רע malum, seu *ἀνομία*. Gen.VIII.4. 1.Joh.3.4. *Bona dicta sunt, quæcunq; Deus ordinavit, & in illo à Deo constituto ordine perstiterunt. A contrario itaque sensu, malum est, quidquid cum illo, à Deo introducto, ordine pugnat.* Juxta Lyser. p.236. Trahit post sese mortem, si Deus secundum suam justitiam cum homine vellet agere. Gen.VIII. 21. Dominus meminit pœnæ, quam antediluvianis propter hoc peccatum, & flagitia inde manantia, irrogavit, promittens, nolle sese amplius id genus pœnæ inducere, intuitu Messiæ futuri. Dicis: Atqui Deus veniam promittit, quia figmenta cordis mala sunt. E. non sunt meritoria mortis, sed vitæ. Rℽ. vox כי significat non semper, *quoniam*, sed etiam *quamvis*. Gen.XLVIII.14. Jos.XVII.18. vide Tarnov. exerc.Bibl. p.61. Quamvis igitur homo malus sit ab ineunte ætate, tamen Deus non vult ipsi inferre mortem, quam posset, vi justitiæ; sed nō vult, misericordia deprecante, & Christo mediatore intercedente. Lyser. in Noach. p.241. seposita hac gratia homo, etiam pius, reus est mortis. Gen.VIII.20. Noah mactat victimas, ut fateatur, sese reum

Formalis. Peccatum (1.) *Originale.* Tempus:

Natura.

Reatus.

Obj. n.

Rℽ.

se reum esse mortis, & damnandum, nisi vicaria pro peccatoribus hostia, Christus, aliquando mortem in sese derivaret. *Instas*: Gen. XI. ubi recensentur Patriarchæ, non additur: & mortuus est, sicut addidit, cum antediluvianos recenseret. Resp. (1.) Ratio diversitatis non est carentia peccati, saltem originalis; Nam finem vitæ habuerunt, dum numerantur definiti anni; quare & meritum, nempe peccatum; Sed defectus alicujus in cœlum translati, & non mortui, ut fuit ante diluvium Henochus; Ut enim doceretur, reliquos non fuisse translatos, addendum tum erat: Et mortuus est: qua phrasi non opus erat post diluvium, ubi omnes sunt mortui. Vid. Abulens. q. 17. in Gen. IX. Lutherum & Pelargum. ad l. c. (2.) Brentius aliam rationem allegat, nempe, ideo mortis mentionem non esse factam, quod viciniores essent soli ex oriente, Messiæ, vitæ fonti; quam antediluvium extitissent.

Obj. 2. ℟.

(2.) *Actuale*. Ex originali: (2.) *Actuale* peccatum ex hac radice enascitur. Gen. VIII. 21. Deus subinnuit caussam, cujus gratia mundum diluvio pridem delevisset, nempe peccata, prout manant ex corde hominis, à prima infantia corrupti. Cor igitur, fingens mala, est fons iste, ex quo rivi peccatorum actualium derivantur.

Dividitur, in mortale, & veniale. *Duplex* est, mortale & veniale, quæ sic dicuntur à subjectis, quibus vel imputantur, vel remittuntur. Gen. IX. 25. seqq. illustre exemplum habemus. Noah enim ex ebrietate nudus peccavit quidem, sed ita, ut Spiritus S. non destitueretur. Nam discusso somno, & crapula, Spiritu S. plenus ex divino Zelo vaticinatur de sublimissimis mysteriis, fideique superstitis indicia non spernenda prodit; *Quia justus, & bonis operibus pollebat, peccatum, quod casu evenit, obtegere & obumbrare potuit*. Chrysost. hom. 29. in Gen. *venialia judicentur ejusmodi errata, non odio prosequenda, non habenda ludibrio*. Ambros. de arca c. 30. Chamum autem & Chanaanem maledictione ferit, docens, peccatum, ab ipsis commissum, fuisse mortale, cordibus vera fide destitutis.

Reatus utriusque. Etiamsi autem soli Chamus & Canaan maledictione percutiantur, tamen Noah quoque, & reliqui pii ejusdem fuissent rei, si Deus ex justitia voluisset agere. Nam Gen. VIII. 20. 21. Noah, metuens sibi & suis ab ira divina, offert sacrificia, Deumque fusis precibus interrogat, an & posthac velit eandem pœnam irrogare? Respondet Deus, & negat, caussa tn. addita, merito vid. Messiæ præstando, ne homo videretur sibi

sibi pius & dignus fuisset. Maledictio autem qualis intelligitur, corporalis, an spiritualis? solam corporalem intelligit Boulduc. lib. 2. de Eccles. ante leg. c. 4. Nos spiritualem addimus. Nam fuit filius inobediens, quibus Deut. XXVII. 26. pœna æterna denunciatur, puta, nisi resipiscant. Imò, si corporalem intueamur, diu Cham, & Chanaan, & posteri summa felicitate perfruebantur, quasi accepta benedictione: Peccatum in *Spiritum Sanctum* omnium est gravissimum, quale commisit Cham, *ridendo Evangelion de Christo, nec correptionem ministerii admittendo, contra primam tabulam,* censente Lyser. Noach. p. 344. 355. In Spiritum Sanctum.

§. 4. *III. Restitutionis.* Efficiens (1.) *principalis* est *gratia* Dei, vitam amantis potius, quam mortem, peccatoris. Colligitur ex Gen. VIII. 21. ubi Deus sponte sua motus, non volo amplius, inquit, mundum punire; puta, sicut ante, diluvio. Gen. IX. 6. dicitur homo ad imaginem Dei creatus esse, scilicet recuperandam. *Hanc enim etsi per peccatum amisit homo, tamen ejusmodi est, ut reparari possit per verbum & Spiritum Sanctum.* Ait Luther. enar. in Gen. IX. f. 144. Gen. IX. 5. seqq. prohibet Deus homicidium, addita vindictæ comminatione: *Voluntas enim ejus est vita, & non mors. Ps. 30. Hæc & similia Prophetarum dicta accepta sunt ex talibus promissionibus, qualis hæc est, quod Deus jubet hominem crescere. Ostenditur enim clarè; quod pronior sit ad vivificandum, & bene faciendum, quam ad iram, & occidendum.* Luth. f. 145. Gen. IX. 9. notanter dicit מקים *surgere faciam.* Vide Sixt. Amam. Antibarb. Bibl. lib. 2 ad Gen. VII. 4. Nulla præcedente caussa promerente, ex parte hominum: nihilominus Deus fœdus, olim cum Adamo, & cæteris Patriarchis, de mittendo Messia, victima pro peccatis, factum, renovat: *Est hoc admiratione plenum, quod fœdus & pactum hoc sine ulla conditione observantiæ & gratitudinis constare voluit. poterat dicere: si non declinaveritis ad prioris seculi malitiam & impietatem, non inducam amplius diluvium; verum nullam conditionem adjicit, ut sola ipsius bonitate & veritate ad finem usque mundi fœdus istud duret.,* Marbach. in l. c. Genes. Imprimis illustre est spatium resipiscentiæ, incredulis ante diluvium à Deo concessum. *Nihil enim est, quod ita illum exhilarat, atq; conversio nostra, & à peccato ad virtutem regressus,* ait Chrys. hom. 25. in Gen. Nec destitit, undis jam exundantibus per 40. dies exspectare: *Volebat enim propter*

III. *Restitutionis.* (1.) Efficiens *principalis* est gratia Dei.

Absoluta &

pter magnam misericordiam etiam aliquos ex eis castigatos generalem hanc internecionem effugere, cum ante oculos viderent proximos suos perire, & imminere sibi communem interitum. Hæc idem. Gratia

Vniversalis. est *universalis*. Nam Noah cum filiis suis aderat, cum Deus dulcissimum de servandis hominibus decretum patefaceret. Gen. VI. 21. benedictionem diceret. Gen. XI. 1. fœdus percuteret. v. 8. seqq. Erant autem Noah, & filii, seminarium, & compendium totius generis humani, ut revelatio, ipsis facta, omnibus fieret, & offerretur hominibus, qui *Semen* ipsorum erant. ℣. 9. Origenes hom. 2. in Genesin eleganter mysterium exponit per mensuram arcæ, ex Ephes. III. 18.

(2.) *Meritoria* est Christus Redemptor. §. 5. (2.) *Meritoria* est Christus. Gen. VIII. 21. propter hominem venia hominibus promittitur. Intelligit enim *Jesum Christum, Mediatorem, Semen mulieris benedictum, qui se Filium hominis Matth. xx. Dan. VII. & alibi, nominat. Nam in hoc homine, seu semine benedicto, omnes gentes terræ benedicendæ sunt.* Scribit Chytræus in l. c. Promissio hæc non nova erat, sed antiqua; Nam jam Adamo eandē fecerat Gen. III. 15. Sed aquis diluvianis videbatur extincta, opus igitur erat restaurari, & confirmari. Sententia est Ruperti Abbatis Tuitiensis lib. IV. de Trinit. c. 34. quam his verbis expressit: *Pactum multoties promissum, unum illud est, & semel initum, quo solo inimicitiæ solvuntur, quæ erant inter Deum & homines, incarnatio vel passio Filii. Illic absque ulla contradictione certa est constitutio pacis, cum ratione dati & accepti. Dum accepta Deus fide hominum, dat hominibus eundem Christum Filium, ut salventur per ipsum.* Hinc constat, quod Christus sit fons, ex quo salus nostra, & quidquid hanc concernit, derivatur. Exceptiones quasdam habet Jesuita Pererius lib. XIV. com. in Gen. Disp. III. §. 109. contra sententiam Ruperti. Dicit, non posse fœdus spirituale Gen. IX. 8. seqq. intelligi, eo quod animalia, fœderis ejusmodi incapacia, implicet. Resp. Bestiæ sunt incapaces etiam iridis, quæ erat signum fœderis ejusdem; Et tamen involvuntur. Talia igitur sunt prædicata, qualia permittuntur à subjectis. Parcit Deus hominibus, parcit & bestiis, Sed his pro-

Vniversalis. pter hominem, istis propter Christum. *Universale* est Christi meritum. Erat enim Deus quidem Dominus solius Semi, ut ex stirpe ipsius nasceretur, secundum promissionem, sed tamen & Japheto pro-

promittit locum in tabernaculo Sem. *Utrorumque igitur, & liberorum, & servorum restituendorum caussa advenit Christus, eodem loco habens omnes, praecepta sua servantes:* notat Justin. Martyr. dial. cum Tryph. f. 289. Et Cyrillus lib. III. in Gen. *Factus est Christus requies* (alludit ad Gen.V. 29.) *nobis, atque justitia; & terra, cui Deus maledixerat, plane nos liberavit. Quod cum constet, perspicuum esse debet, cuncta crimina, quæ Adam commiserat, in Christo soluta fuisse.* Sed & *gratuitum* est. Nam Gen. IX. 26. laudatur Deus Dominus Semi. *Mirabilis hæc prophetia est*, inquit Lutherus, *ob singularem verborum proprietatem. Sem non benedicit, sed Deum Sem, ut agat Deo gratias, quod Sem complexus sit, & ornaverit spirituali promissione seu benedictione de semine mulieris.* enar. f. 155. Si igitur in merito Christi omnis laus redundat in Deum ipsum, gratuitum est ex parte nostri. & gratuitus.

§. 6. *Formalis* ratio varios illos in sese complectitur actus, quibus Deus utitur in hominibus vocandis, illuminandis, convertendis, justificandis, renovandis, & tandem salvandis. Sit igitur 1. *Vocatio*, eaque vel immediata, vel mediata, vel realis, vel verbalis, vel supernaturalis, vel naturalis. *Immediatè* Deus *omnes* homines vocavit, dum post diluvium voluntatem suam, cum in credendis Gen. VIII 21. tum in agendis Gen. IX. 1. seqq. revelavit, & confirmavit. *Mediatè* idem fecit per ministerium ordinarium, cum rebus, tum verbis. Non enim *solum contentus fuit* 120. *annorum promissione, sed justo praecepit, ut arcam construeret, quo & ipse aspectus arcæ iis sufficientem memoriam suggereret, & nullus ignoraret, inferenda pœnæ magnitudinem:* scribit Chrysost. hom. 25. in Gen. vide supra art. IV. §. 6. *Supernaturalis* est, quæ fiebat verbo, divinitus revelato, qualis fuit concio Noachi ad filios Gen. IX. 25. seqq. Chamum per maledictionem legalem evocat ad Christum, legis finem Gal. III. 24. Semum autem, & Japhetum per Evangelium. vide Luther. enar. f. 155. *Naturalis* fit per lumen naturæ, cum internum, tum externum. Insignia Deus beneficia Chamitis exhibebat, multiplicando sobolem, commodando felicissimam terram Canaan, donis variis exornando, in quem finem? ut Deum nossent, glorificarent, pœnitentiam agerent. Rom. II. 4. Actor. XIV. 17. XVII. 26. *Universalis* fuit, cum octo tantum homines essent, audirentque Dei (3.) *Formalis* ut *Vocatio*, vel Immediata, vel Mediata, vel Supernaturalis, vel Naturalis, vel Universalis.

vocem Gen. VIII. 21. IX. 1. Eademq; prædicta est futura esse in N.T. Gen. IX. 26. 27. Justinus Martyr. dial. cum Tryph. f. 289. explicans vaticinium Noachi de futuris Cananæorum, Semi, & Japheti fatis; disertè ponit universalem vocationem, quæ fuit, cum dilatatio Japheti, & habitatio in tabernaculis Sem impleretur: *Christus, inquiens, juxta omnipotentis Patris datam sibi potestatem, advenit ad amicitiam & benedictionem, ad pœnitentiam & unius habitationis consuetudinem καλῶν vocans.: ad possessionem scilicet in eadem terra sanctorum omnium, ut promissum, atque præmonstratum est; communem futuram.* Habes non tantum vocationem, sed etiam ipsius principium, Christum, & terminum, nempe Ecclesiam, non militantem tantum, sed & triumphantem in cœlis. *Homines* enim *undequaque sive servi, sive liberi, credentes in Christum, & veritatem, quæ in ipsius, & prophetarum ejus oraculis est, cognitam habentes, sciunt cum illo in ea terra se futuros, & hæreditatem sempiternorum bonorum adituros esse.*

vel Particularis

Hæc idem. *Particularis* est, quæ unum vel alterum hominem ad peculiare aliquod opus evocat, ut Noachum ad arcæ fabricam. Gen. VI. 14. Heb. XI. 7. Quo ipso ex loco patet, esse vocationem aliam ordinariam, aliam extraordinariam: Illa fit per verbum externum, hæc per oracula: dicitur enim Noah χρηματισθεὶς per *oraculum* accepisse vocationem fabricandæ arcæ. Est autem vocatio non omnis ex statu iræ in statum gratiæ, sed etiam in statu gratiæ ad varia opera præstanda, quod ex locis & exemplis, hactenus allegatis, clarè patet.

vel ordinaria

vel Extraord.

Illuminatio & Conversio

§. 7. Vocationis effectus est, 2. *Illuminatio* hominis & *conversio.* Neque enim verbum Dei vacuum revertitur, sed facit, quod jussum est, illuminando & convertendo, aliquos saltem, ex auditoribus. Ps. XIX. 9. Isai. LV. 10. 11. Colligitur ex Gen. XI. 4. ubi structores turris Babelicæ meminerunt futuræ dispersionis. Erat autem hæc futurum contingens, quod ex sese homo scire non potest. Sciverunt igitur ex prædicatione Noachi, qui dixerat, homines in universum orbem iri dispersum. Gen. IX. 27. Japhetitæ collocantur in tabernaculis Semi, præmissa blanda Evangelii persuasione, quod denotat conversionem gentium in N.T. futuram: Fit autem conversio eo momento, quo fides in animo hominis accenditur; ut rectè scribat Justinus, modo allegatus, explicans locum

locum, *credentes in Christum, & veritatem, quæ in ipsius, & prophetarum ejus oraculis est, cognitam habentes, sciunt cum illo in ea terra se futuros, & hæreditatem sempiternorum bonorum adituros esse*: Hos dicit Martyr ingressuros esse tabernacula Semi, quod fit per conversionem: de qua agit Paulus Rom. XI. 11. seqq. vide Luth. enar. f. 158. *Pœnitentia* huc spectat. Nec enim realiter differt à conversione. Constat duabus partibus, contritione & fide. Illa, propter commissa peccata, quam neglexerunt illi, qui in diluvio perierunt; Hæc in Deum comminantem, & promittentem, quam etiam spreverunt. 1. Pet. III. 20. 2. Pet. II. 6. Ex sacrificiis idem elucet. Erant actus pœnitentiales, in quibus homines fatebantur sua delicta, horumque pœnas, fide tamen apprehendebant meritum Christi mediatoris. Confer B. Chrysost. hom. 25. & 29. in Genes. & Glos. ord. ad Gen. VII. 4. Pœnitentes recipiebantur in Ecclesiam. *Typus* erat columba, ad arcam reversa, & recepta. vide Cyprianum in literis *ad adversarium paternæ pietatis* Novatianum. Et Bedam in comment. ad Gen. VIII. 9. Pœnitentia. Typus.

§. 8. (3.) *Justificatio* est effectus *gratiæ* divinæ. Gen. VI. 8. Noah invenit *gratiam* coram Deo, ut sibi parceretur, cæteris impœnitentibus in diluvio pereuntibus. Non ergo ex operibus est justificatus. Rom. XI. 16. *Meriti Christi*. Nam diligimur in dilecto. Eph. I. 6. Nec in ullo alio, quam ipsius nomine, salus est exspectanda. Actor. IV. 12. aut peccatorum remissio. Actor. X. 43. aut justitia, qua justificamur. Rom. V. 17. 18. 21. *Fidei*, quæ gratiam Dei, & meritum Christi apprehendit. Noah dicitur justus. Gen. VI. 9. justitia, non operum, sed fidei, quâ fuit filius Dei, & hæres. Ebr. XI. 7. Siracides XLIV. 17. Noachum vocat ἀντάλλαγμα, quod factus est tempore iræ, non immediatè Ps. XCIX. 8. sed mediante fide, qui Christum apprehendit. 1. Joh. II. 2. Audiamus Patres. Justinus dial. cum Tryph. f. 182. inter alios, fide, non operibus, justificatos, refert Noachum: *Noë, principium generis, una cum liberis irrefectus arcam ingressus est.* Irenæus lib. IV. cont. hæres. c. 30: *Reliqua omnis multitudo*, scribit, etiam de Noacho, *eorum, qui ante Abrahamum fuerunt, justi, & eorum Patriarcharum, qui ante Mosen fuerunt, sine his, quæ prædicta sunt, & sine lege Mosis, justificabantur.* Cyrillus lib. III. in Gen. suffragatur. Sic enim de Deo scribit: *Sua rursus* Justificatio Gratia. Meritum. Fides.

vocem Gen. VIII. 21. IX. 1. Eademq; prædicta est futura esse in N.T. Gen. IX. 26. 27. Justinus Martyr. dial. cum Tryph. f. 289. explicans vaticinium Noachi de futuris Cananæorum, Semi, & Japheti fatis; disertè ponit universalem vocationem, quæ fuit, cum dilatatio Japheti, & habitatio in tabernaculis Sem impleretur: *Christus*, inquiens, *juxta omnipotentis Patris datam sibi potestatem, advenit ad amicitiam & benedictionem, ad pœnitentiam & unius habitationis consuetudinem* καλῶν *vocans.: ad possessionem scilicet in eadem terra sanctorum omnium, ut promissum, atque præmonstratum est, communem futuram.* Habes non tantum vocationem, sed etiam ipsius principium, Christum, & terminum, nempe Ecclesiam, non militantem tantum, sed & triumphantem in cœlis. *Homines* enim *undequaque sive servi, sive liberi, credentes in Christum, & veritatem, quæ in ipsius, & prophetarum ejus oraculis est, cognitam habentes, sciunt cum illo in ea terra se futuros, & hæreditatem sempiternorum bonorum adituros esse.* Hæc idem. *Particularis* est, quæ unum vel alterum hominem ad peculiare aliquod opus evocat, ut Noachum ad arcæ fabricam. Gen. VI. 14. Heb. XI. 7. Quo ipso ex loco patet, esse vocationem aliam ordinariam, aliam extraordinariam: Illa fit per verbum externum, hæc per oracula: dicitur enim Noah χρηματισθεὶς per *oraculum* accepisse vocationem fabricandæ arcæ. Est autem vocatio non omnis ex statu iræ in statum gratiæ, sed etiam in statu gratiæ ad varia opera præstanda, quod ex locis & exemplis, hactenus allegatis, clarè patet.

vel Particularis — *vel ordinaria* — *vel Extraord.*

Illuminatio & Conversio

§. 7. Vocationis effectus est. 2. *Illuminatio* hominis & *conversio*. Neque enim verbum Dei vacuum revertitur, sed facit, quod jussum est, illuminando & convertendo, aliquos saltem, ex auditoribus. Ps. XIX. 9. Isai. LV. 10. 11. Colligitur ex Gen. XI. 4. ubi structores turris Babelicæ meminerunt futuræ dispersionis. Erat autem hæc futurum contingens, quod ex sese homo scire non potest. Sciverunt igitur ex prædicatione Noachi, qui dixerat, homines in universum orbem iri dispersum. Gen. IX. 27. Japhetitæ collocantur in tabernaculis Semi, præmissa blanda Evangelii persuasione, quod denotat conversionem gentium in N.T. futuram: Fit autem conversio eo momento, quo fides in animo hominis accenditur; ut rectè scribat Justinus, modo allegatus, explicans locum

locum, *credentes in Christum, & veritatem, quæ in ipsius, & prophetarum ejus oraculis est, cognitam habentes, sciunt cum illo in ea terra se futuros, & hæreditatem sempiternorum bonorum adituros esse* : Hos dicit Martyr ingressuros esse tabernacula Semi, quod fit per conversionem: de qua agit Paulus Rom. XI. 11. seqq. vide Luth. enar. f. 158. *Pœnitentia* huc spectat. Nec enim realiter differt à conversione. Constat duabus partibus, contritione & fide. Illa, propter commissa peccata, quam neglexerunt illi, qui in diluvio perierunt; Hæc in Deum comminantem, & promittentem, quam etiam spreverunt. 1. Pet. III. 20. 2. Pet. II. 6. Ex sacrificiis idem elucet. Erant actus pœnitentiales, in quibus homines fatebantur sua delicta, horumque pœnas, fide tamen apprehendebant meritum Christi mediatoris. Confer B. Chrysost. hom. 25. & 29. in Genes. & Glos. ord. ad Gen. VII. 4. Pœnitentes recipiebantur in Ecclesiam. *Typus* erat columba, ad arcam reversa, & recepta. vide Cyprianum in literis *ad adversarium paternæ pietatis* Novatianum. Et Bedam in comment. ad Gen. VIII. 9. Pœnitentia. Typus.

§. 8. (3.) *Justificatio* est effectus *gratiæ* divinæ. Gen. VI. 8. Noah invenit *gratiam* coram Deo, ut sibi parceretur, cæteris impœnitentibus in diluvio pereuntibus. Non ergo ex operibus est justificatus. Rom. XI. 16. *Meriti Christi.* Nam diligimur in dilecto. Eph. 1. 6. Nec in ullo alio, quam ipsius nomine, salus est exspectanda. Actor. IV. 12. aut peccatorum remissio. Actor. X. 43. aut justitia, qua justificamur. Rom. V. 17. 18. 21. *Fidei*, quæ gratiam Dei, & meritum Christi apprehendit. Noah dicitur justus. Gen. VI. 9. justitia, non operum, sed fidei, quâ fuit filius Dei, & hæres. Ebr. XI. 7. Siracides XLIV. 17. Noachum vocat ἀντάλλαγμα, quod factus est tempore iræ, non immediatè Ps. XCIX. 8. sed mediante fide, qui Christum apprehendit. 1. Joh. II. 2. Audiamus Patres. Justinus dial. cum Tryph. f. 182. inter alios, fide, non operibus, justificatos, refert Noachum: *Noë, principium generis, una cum liberis irrefectus arcam ingressus est.* Irenæus lib. IV. cont. hæres. c. 30: *Reliqua omnis multitudo*, scribit, etiam de Noacho, *eorum, qui ante Abrahamum fuerunt, justi, & eorum Patriarcharum, qui ante Mosen fuerunt, sine his, quæ prædicta sunt, & sine lege Mosis, justificabantur.* Cyrillus lib. III. in Gen. suffragatur. Sic enim de Deo scribit: *Sua* *Justificatio* Gratia. Meritum Fides.

 rursus

rursus mansuetudine victus, non aquè, ac peccata meruerunt, supplicium attulit; sed tamen, ne genus humanum omnino pereat, justificationem, quæ in fide futura esset, remissionem peccatorum, quæ per aquam fieret, multis antea temporibus per Filium ostendit. Procopius comm. in Gen. IX. inquit: *Si rem rectè perpendere velimus, Noachus typus est Christi, qui revera est justitia & quies nostra, non ex operibus justitiæ, quæ ipsi fecimus, sed secundum multam suam misericordiam, inquit: venite ad me omnes, qui laboratis. Hic nos liberat è terra, quam execratus est Dominus, dum pro nobis factus est execratio.* Et paucis interjectis: *Cum omnes, qui in terra erant, essent cadi destinati, ne totum humanum genus interiret penitus, per fidem justificationem, per aquam peccatorum veniam omnibus in Christo gratificatur.* Rupertus Tuit. lib. IV. de Trin. 34. præclarè scribit: *Accepta DEUS fide hominum, dat hominibus Filium suum, ut salventur per ipsum.* Omnium optimè & clarissime B. Lutherus enarrat. f. 119. ad Gen. VI. 8. scribit: *Hæc phrasis*; invenire gratiam, *apertissimè excludit meritum, & commendat fidem, quâ sola coram Deo justificamur. h. e. accepti sumus Deo, & placemus ei.* Ex dictis *ratio formalis* justificationis facile eruitur, quod sit remissio peccatorum, pœnarumque, & imputatio justitiæ Christi, nobis acquisitæ. Nam in Christo nobis obtingit remissio peccatorum. Actor. X. 43. & justitia fidei imputata. Rom. IV. 5. Adumbratum est in sacrificiis, utpote in quibus homo nocens vivus manebat, veluti esset innocens; hostia vero innocens mactabatur, veluti nocens. Gen. IIX. 20. *Edebant* igitur *Confessionem fidei suæ, quod scilicet statuant, sibi parsum fuisse a Deo, ob futurum sacrificium Seminis mulieris, cujus mors præfiguretur mactatione mundorum illorum animalium.* Lyser. Noach. p. 220. Deus ipse Gen. IX. v. 21. clarius idem insinuat. Nam veniam promittit *propter hominem*, nempe Christum, Semen mulieris.

Remissio peccati; & justitiæ imputatio.

Filiatio. §. 9. Cum justificatione conjuncta est *Filiatio* spiritualis, quam ex Gen. IX. 26. Deo Semi, elicit Philo Judæus: μόνος γὰρ εὐγενής, inquit, ὅτι θεὸν ἐπιγεγραμμένος πατέρα, καὶ γεγονὼς εἰσποιητὸς αὐτῷ μόνος υἱός. i. e. *Solus enim hic patritius, quippe qui Patrem ciere Deum potest, solus adoptivus ejus Filius, non dives, sed omnia possidens, qui solus deliciatur in copiosis, verisque bonis, nunquam senescentibus, perpetuo virentibus.* Idem jucunda allegoria *inhabitationem* Dei *gratiosam* deducit ex V. 27. Japhet habitet in tabernaculis Sem. *Quæ*

Dei inhabitatio.

enim

enim *domus in omni creatura invenitur dignior, quam DEUS inhabitet, præter animam perfectè purgatam, quæ solum honestum bonum existimat, cætera censet rationi subdita, & huic debere obsequium.* Consequitur *pax conscientiæ*, in Dei gratia requiescentis. Nam fiducia nostra nititur justitiâ, non nostra, sed alienâ, nempe Christi. Gen. VIII. 21. IX. 9. seqq. 2. Cor. I. 20. vide Glass. Mosaisch. Lehr- und Gesch. Kern. p. 486. Symbolum fuit oleæ ramus, à columba allatus. *Quemadmodum enim post aquas diluvii, quibus iniquitas antiqua purgata est, post baptismum, ut ita dixerim, mundi, pacem cœlestis iræ præco columba terris annunciavit, dimissa ex arca, & cum olea reversa, quod signum etiam apud nationes paci prætenditur; Eadem. &c.* Tertull. de baptis. c. 8. *Exemplum* præbet Noah, in arca constitutus. Nam Deus ipsius *recordatus* esse dicitur, quod intelligendum est de sensu gratiæ divinæ, existente in animo Noachi; *Cum iterum Deus meminisse nostri incipit, etiam in carne sensus gratiæ est* Scribit Luther. ad Gen. VIII. 1. & Eras. Marbach. in l. c. *Deus dicitur reminisci, cum è tentatione educit, & liberat.* Pax conscientiæ, & sensus gratiæ divinæ.

§. 10. *Renovatio* justificationem sequitur. Ejus (1.) *Efficiens principalis* caussa est *Deus*, facienda vel omittenda revelans, jubendo impellens, & vires præstandi suppeditans. Illustre exemplum Noah præbet, utpote qui jussus à Deo fecit, quæ sui erant officii, arcam construxit, ingressus, commoratus, egressus est, Deo volente. Gen. VI. 14. 22. VII. 15. 16. VIII. 15. 18. *Justus nihil sibi arrogat, sed totum divino se committit imperio, & maximè, qui cœlesti ingressus fuerat oraculo, cœleste debuit, ut egrederetur, exspectare responsum.* Sententia est Ambrosii de Noë & arca. c. 2. *Atque hic locus est*, scribit Lutherus, *quem in nostra doctrina crebro & non sine caussa urgemus, ut statuamus, non licere nobis quicquam instituere, aut facere, præsertim coram Deo, & in cultibus Dei, nisi præeunte, & jubente verbo.* Accedit imago divina, ad quam homo olim creatus fuit. Nam in hac Deus agendorũ & omittendorum sese normâ constituit. Gen. IX. 6. Alluditur Gen. VI. 9. ubi Noah dicitur את־אלהים התהלך *Deum ambulasse*, i. e. juxta normam, & voluntatem divinam. Gen. IX. 26. laudatur Deus Dominus Semi, postquam Noah audivisset de virtute Semi, innuens, ex Deo fuisse mentem istam & virtutem, ut non homini, sed Deo laus debeatur. Jerem. XXXI. 33. Unde vapulabant Renovatio à Deo revelante & vires suppeditante.

exstructores turris Babelicæ, quod inconsulto Deo machinam istam molirentur, Gen. XI. 4. vide Theophil. l. 2. contr. Autol. vapulant & illi, qui sibi persuadent, Noachum citra divinum mandatum animalia obtulisse, *quod Noë præceptum de irrationalibus Deo offerendis nullibi appareat:* uti loquitur auctor qq. & Resp. ad Orthod. q. 83. Resp. Expressum quidem non extat, tacitum tamen. Nam placuit Deo sacrificium. Gen. IIX. 21. quod sine fide fieri nequit. Hebr. XI. 7. quæ verbo Dei nititur Rom. X. 17. Colligitur ex distinctione animalium in munda, & immunda, quæ sic dicebantur ratione sacrificiorũ, distinctione à Deo facta, & per traditionem in Noachum derivara. Vid. Ambros. d. arc. c. 22. Chrysost. hom. 24. in Gen. Luther. enar. in Gen. VIII. f. 137. Gerh. de leg. cærem. §. 14. *Fides* igitur ad bona quoque opera spectat. Nam Hebr. XI. 7. dicitur Noë ex fide fecisse arcam. *Vidisti,* ἀγαπητέ Chrysostomus. c. 25. *quomodo fides in Deum, quasi secura quædam anchora, fecit, ut arcam fieri curaret, & inhabitationem sustineret.* Eadem fides gratiosum reddidit apud Deum Noachi sacrificium. Tertull. lib. 2. contr. Marc. c. 22. Glyc. annal. part. 2. *Ideo epistola ad Hebræos eruditè refert diversa facta Patrum in unam fidem, ut ostendat, non opera, sed fidem Patrum imitandam esse singulis in sua vocatione.* Luther. f. 137. enar.

Ex fide.

Perfectio. *Forma* est perfectio interna, congruens cum sanctissima Dei voluntate, & imagine concreata Gen. VII. I. *Deus* dicitur invenisse Noachum justum, velut in oppositione ad homines, qui externam tantum speciem apprehendunt, animo neglecto: *Multi hominibus justi videntur, pauci Deo: aliter hominibus, aliter Deo; Hominibus secundum vitæ speciem, Deo secundum puritatem animi, virtutis veritatem. Homines, quæ foris sunt, probant, Deus, quæ intus, examinat:* nervosè scribit Ambros. d. arc. c. 11. Idem innuitur phrasi: *coram me.* Nam, explicante Alphonso Tostato ad l. c. *aliqui alii, licet viderentur justi in exteriori apparentia, tamen coram me non erant justi; quia præcordia erant plena dolo.* Debet conferri ad imaginem divinam. *Invenit enim bonus Deus alium virum, qui potuit innovare imaginem pristinam, & servare virtutis characteres, magnamque in mandatis Dei obedientiam præ se tulit, ad primum suum honorem iterum reducit, quasi docens nos operibus, quantam potestatem Adam ante inobedientiam habuit.* Verba sunt Chrysost. homil. 25. in Gen. *Typo* rem illiu-

Typus.

illustrat Origenes hom. 2. in Genes. nempe arca, intus & foris bituminata. *Vult enim te architectus Ecclesiæ Christus non esse talem, quales sunt illi, qui deforis quidem apparent hominibus justi, deintus autem sunt sepulchra mortuorum: sed vult te & corpore sanctum esse extrinsecus, & corde intrinsecus purum cautum undique, & castitatis, atque innocentiæ virtute munitum. h. e. intus & foris bitumine esse oblitum.* Hæc ille, allegoria non inepta. *Finis* est gloria divina. Gen. IX. 6. ratio, cur abstinendum à cæde, &, si patrata fuerit, vindicanda sit, allegatur imago divina. Ergo in gratiam Dei abstinendum est à peccatis. Gen. VIII. 20. Noah sacrificium offert ליהוה tribuens ipsi gloriam justitiæ in impios, misericordiæ in pios, & gratiæ in conservatos. Gen. IX. 26. Noah laudat Deum, cum Semus insigne pietatis specimen edidisset: *Quocirca obsecro, demus operam, ut ita vivamus, & tantæ virtutis specimen exhibeamus, quo omnes, qui nos viderint, benedictionis laudes offerant Domino Deo. Nam, quia bonus & misericors est, per nos vult glorificari.* Docet Chrysost. hom. 29. in Gen. Gloriæ divinæ accedit *Finis minus principalis*, nempe conservatio & propagatio Ecclesiæ. Nam non ipse tantum Deus operatus ejus est salutem, dum veniam posteris promittit. Gen. VIII. 21. tempora idonea ordinat v. 22. sed etiam hominibus injungit, ut sese multiplicent. Gen. IX. 1. à cæde abstineant. v. 3. eamque in finem magistratum ordinat. v. 5. 6. vide B. Brent. in Gen. IX. f. 110. 111.

Finis principalis

& minus principalis,

§. 11. Homo renovatus operatur *virtutes*. De his loquendum (1.) *In genere.* Circumferunt septem *præcepta*, quæ *Noachica* vocant. Traditio Judæorum est, *sex præcepta Adamo data esse. Judicia publica, benedictionem Numinis, vitationem idololatriæ, non revelandæ turpitudinis, homicidii, & furti*: Referente Schotan. de 1. mundi ætat. f. 6. ad c. IV. Genes. Eadem præcepta Noacho esse repetita, addito septimo, ne ederet membrum ex animali vivo raptum. Audiamus doctissimum Judæum R. Maimonidem; Sic autem ille in Halacha Melachim. c. 9. refert: *Sex præcepta accepit Adam primus, de idololatria, de benedictione Numinis, de effusione sanguinis, de revelatione nuditatum, de rapina, de judiciis; Quamvis omnia illa sint Cabbala per manus nostras à Mose Magistro nostro, tamen animum advertens illis, ex omnibus verbis legis videbit, quod ista præcepta acce-*

Virtutes 1. In *genere* ex præceptis.

cepe-

ceperit : Addidit ipsi Noe de membro vivi animalis. q. d. tantum carnem in anima sua, sanguine suo, non edetis : Ita invenientur septem præcepta; & sic fuit verbum in omni seculo usq; ad Abraham. Nota, quod traditioni adjungat verbum Dei, nempe præcepta illa ex traditione quidem haberi, sed fundata in lege scripta. Nos igitur ex ipso Dei verbo decalogum Noachicum eliciamus. Tres autem sunt modi potissimum, quibus id perficere queamus, verba expressa, exempla, & consequentiæ.

& exemplis, *Exempla*, quæ annotata habentur in nostri informationem. Rom. xv. 4. *Unus enim scopus & terminus scripturæ divinæ est, ne quid factorum intermittat, sed veritatem nos doceat. Neque propter invidiam justorum virtutes præterit; neque propter gratiam peccata obumbrat, sed omnia in medium nobis proponit, ut præscripta & doctrinas quasdam habeamus* : Hactenus Chrysost. hom. 29. Hæc eo fine allegavimus, ne quis putaret, nos facta cum jure confundere, dum virtutes, vel vitia, ut gesta sunt, hoc quidem loco allegamus, quæ videbantur spectare vel ad sanctitatem Ecclesiæ, vel ad scandala, inferius enarranda. Cautela tamen h. l. necessaria est observanda, ut distinguamus inter opera communia, & propria. Neque enim quævis opera sunt imitanda, nisi ex fide communi profecta. *Manifestum in eo periculum est, si velis facta Patrum trahere in exemplum. Sicut enim personæ, ita etiam officia, sunt differentia, & pro diversitate vocationis diversa opera requirit Deus. Ideo epistola ad Hebræos erudite refert diversa facta Patrum in unam fidem, ut ostendat non opera, sed fidem Patrum imitandam esse singulis in sua vocatione.* Luther. in Gen. VIII. f. 137.

& consequentiis. Exemplis accedunt *Consequentiæ*, juxta præstantissimas decalogi explicandi regulas à B. Chem. t. 2. loc. de leg. c. 7. propositas. Ipse Deus unam vel alteram in textu Mosaico subministrat. e. g. Gen. IX. 4. Vetat esum vel sanguinis, vel crudæ carnis; qua de caussa? ne homo vel suæ sanitati noceat, vel crudelitati assuefiat; v. 6. Deus tradit Magistratui jus necis & vitæ. E. multo magis jus in bona subditorum.

(II.) In *specie* Tabulæ *primæ* 1. Timor, dilectio.

§. 12. Distribui possunt virtutes juxta tabulas Mosaicas. Ad I. spectant (1.) *Timor* Dei. Hanc discimus ex Noacho. Nam eum in finem sacrificium obtulit, ut doceret, se credere Deum irasci peccatis, & rogandum esse, ut parcat delinquentibus, quod colligas ex *responso* Dei. Gen. VIII. 21. *Dilectio Dei.* Deus Noachum

cum

cum familia maximis afficit beneficiis. Dubium igitur non est, quin amorem in se accenderit apud ipsum; Nam diligimus benefactores, qui non tantum beneficia exhibuerunt; sed etiam porro exhibere parati sunt: qualem sese Deus erga Noachum exhibuit. Vera fide Noachus fuit præditus. Ebr. XI. 7. quæ nunquam sine charitate est. Nam per ipsam operatur erga Deum pietatem, gratitudinem, obedientiam; erga proximum autem humanitatis officia. *Fiducia.* Locanda est in Deo, ejusque verbo, cum ὑποσχετικῷ, tum προφορικῷ. Illustre exemplum est Noachus. Cum cæteri hominum diluvio absorberentur, ipse arcam ingressus, Deo ita jubente, & confisus est in ipsius promisso de futuro Semine, ex sese proditu-ro. Gen. VI. 18. Destitutus ab omni humano auxilio, & inter medias ferocissimas & plurimas bestias constitutus, non tamen desperavit, quia in hoc vocatus erat à Deo, & confortatus verbo promissionis. *Respice ad Noah septum undique, & tantum non oppressum aquis, hunc non opera, sed sola fiducia misericordiæ Dei, ad quam verbum promissionis eum vocabat, conservat.* Luther. enar. ad Genes. VIII. f. 134. Tentatur aliquando fides, subtracto sensu divinæ voluntatis & assistentiæ, ut ex voce: recordatus est, colligit idem l.c. Lutherus. Sustentatur tamen & conservatur verbo, *ut in ipso desperationis sensu, tamen reliqua fidei scintilla sit, & carnem vincat. Meminerimus igitur*, pergit idem, *nobis in hac historia proponi exemplum fidei, perseverantiæ, & patientiæ, ut, qui promissionem divinam habent, non solum ei credere discant, sed etiam perseverantia sibi opus esse existiment.* Parentem secutus est filius Sem. Nam Messias dicitur Semi Deus. Gen. IX. 26. non certè ob creationē, quo sensu Japheti quoq; & Chami erat Deus, sed partim propter incarnationē, partim propter fiducialem apprehensionem, qua suū quasi peculium & proprium faciebat Messiam. Atq; hinc colligitur *fides*, ut vocatur, *specialis*, cum individua sibi applicant gratiam Dei, & meritum Christi. Gen. XXIX. 19. 20. Lege, sed cautè, Bochart. lib. 2. Phaleg. c. 1. Hæc tamen fiducia temeritas non sit, quod iterum discas ex præcepto divino. Promiserat quidem Deus Noacho salutem in ipsis undis præstandam. Gen. VI. 18. seqq. nihilominus tamen media quoque suppeditavit, quorum interventu servandus esset: Atque hæc media Noachus arripuit, Arcam fabricavit, cibum intulit, ingressus est ar-

Fiducia.

cani, fores post ipsum clausit ipse Deus: Noah emittit aves, ut exploret aquarum conditionem; quæ scriptura eum in finem annotavit, ut disceremus à temeritate abstinere, etsi habeamus verbum Dei mandantis & promittentis. (2.) *Sanctificatio nominis divini.* Colligitur ex Gen. VIII. 20. ubi Noachus, dilapso diluvio, Deo offert sacrificium, holocaustum, ut gratias ageret pro salute, & oraret pro peccatorum remissione. *Qui Deum in sorte accipit, is merito debet eum solum laudare, ac benedicere, quando hoc tantum habet, quod reponat, nec valet referre ullam aliam gratiam.* Philonis est præceptum & judicium in libro de resipiscentia Noë. Talis gratia erat Noachi sacrificium. *Instituerunt gratiarum actionem pro liberatione, & precationes, ut Deus in posterum ipsos servet, & tueatur, simul promittentes, se ipsi servituros ad nutum & beneplacitum.* Scribit Lyser. in Noach. p. 220. Aliud sacrificium ex Gen. IX. 20. eliciunt Joseph. lib. antiq. c. 7. & Philo de plant. Noe. f. m. 184. Cum enim Noachus dicatur ebrius esse factus, conjiciunt illi, sacrificium obtulisse Eucharisticum pro felici vini proventu; veteres enim πάσης καλῆς πράξεως ἀφ' ἱερῶν τελείων κατήρχοντο, *omnis honestæ actionis à sacrificiis faciebant initium.* Hoc sacrificio peracto dicunt epulas instruxisse Noachum, & vinum meracius bibisse, ut inebriaretur. Sit fides penes auctores. Nam ex scriptura non potest demonstrari, quod Noachus tum sacrificium obtulerit Deo: N. C. bibit & inebriatus est. E. in epulis sacrificialibus. Futilis erat Adrianus pontifex, cum actione II. Synodi 7. allegaret, altare Noachicum, ut probaret, imagines in Ecclesiis erigendas esse. Chemnit. part. 4. exam. C. T. p. m. 59. 60. Melioris commatis sunt *preces*, quas à Noacho ad Deum fusas esse ex Gen. VIII. 21. colligimus. Nam Deus quasi respondet Noacho oranti, quod preces exaudierit: *Orabat* (Noachus Deum) *acciperet sacrificium propitius, neve ullam posthac tantam iram contra terram conciperet; ut operibus suis eam excolerent, & urbibus extructis feliciter vitam degerent, nullis commodis carentes, quibus ante cataclysmum fruebantur; & ad extremam senectutem longævitatemque, qualis majorum suorum fuerat, pervenientes*: verba sunt Josephi lib. 1. antiqq. Judaic. c. 4. Dubito vehementer, an Noah pro carnalibus beneficiis tantum, tamque absolutè, præsertim pro æquali longævitate, orarit. Certè voto ipsius Deus non respon-

2. Sanctificatio nominis divini.

Preces.

respondit. Nam post diluvium non fuit ea. quæ prius, longævitas: Nec de vitæ vel longævitate, vel brevitate quidquam in responso Dei habetur. Alia extat traditio in libro Tanchuma de precibus Noachi. Fertur enim in arca quotidie orasse: *libera animam meam è carcere.* Dubium non est, assiduas ad Deum preces ipsum fudisse. Nam afflictio quasi quoddam est incentivum orationis. Huc spectat *meditatio rerum divinarum*; quam R. Salomo, allegante Genebrardo Chron. an. 1931. tribuit Jectani Heberis filio. *Secundo genuit Jectan, à diminuendo, seu minorando nuncupatum, quod diminuerit sibi de mundi negotiis, ut vocant, rebus divinis & philosophiæ.* Fides sit penes auctorem. (3.) *Sanctificatio Sabbati*, vel aliorum temporum sacrorum. Tulerat Deus jam in paradiso legem de observando Sabbato. Gen. II. 2. 3. quam dubio procul Noah *justus* ad unguem servavit. Memorabile est, quod Gen. VIII. 10. septimo quoque die emiserit aves, & receperit: Videtur enim innui dies Sabbaticus, quo cultum divinum peragebat, peractoque ipso aves emittebat, exploraturas, an Deus preces exaudivisset? Lyserus ex curiosa anni, mensis, dierum, quibus diluvium cœpit, & finitum est, annotatione, colligit memoriam à Noacho rerum gestarum religiosè celebratam esse. *Dubium enim nullum est*, inquit, *eum* (Noachum) *hoc non tantum posteris narrasse, sed & quam diligentissimè inculcasse, ut, quoties rediret anniversarius dies, tam de horrendo exemplo iræ divinæ cogitarent, quam Deo pro beneficio conservationis & propagationis gratias agerent.* p. 138. confer p. 169. 212. *Objicis* Tert. c. 2. cont. Judæ. qui dicit, Noachum non Sabbatizasse. Resp. dist. inter superstitiosam & religiosam Sabbati observantiam. De ista loquitur Tertullianus, contra Judæos superstitiosos disputans; De hac autem, non de ista, nobis est quæstio. Cedrenus, auctor fabulosus, in historiæ compendio meminit diei dominicæ, quâ Noah ingressus sit arcam, sed *fine certo fundamento*, judic. D. Gerh. comm. in Gen. VII.

3. Sabbatum.

§. 13. Hactenus tabula prior. Ordinem esse inter divina præcepta & tabulas ex Gen. VIII. 20. sqq. manifestū est. Nam Deus ante omnia sibi voluit fieri sacrificia, quibus oblatis demum subjungitur de matrimonio, de cæde, de magistratu publico: &c. *Eoque ipse ostendit* (Deus) *non demum in N. T., sed inde ab initio suam voluntatem*

Ordo tabularum.

tem fuisse, ut primum quæramus regnum Dei, & justitiam ejus, tunc cætera nobis adjectum iri. Lyser. Noach. p.250. sequitur igitur tabula secunda.

Secunda in genere est dilectio.

§. 14. Cardinalis virtus est *dilectio proximi.* Fundatur in mutua consanguinitate fraterna hominum inter sese. Gen. IX.5. Fit equidem mentio tantum vitii oppositi, sed è contrario elicitur inde virtus opposita: *Etsi negativa, prohibens expresse, ponitur in præcepto aliquo, addenda est affirmativa præcipiens contrarium:* Regula est l.c. B.Chemnitii. Cædes igitur prohibetur. E. charitas imperatur, ideo, quia homo hominis frater est: *Eadem enim natura omnium mater est hominum, & ideo fratres sumus omnes, una atque eadem matre generati, cognationisque eodem jure devincti, ideoque & Dominus fratrem appellavit.* Ambros. de arc. c.26. confer August. quæst. 16. in Gen. orth. Patr. f.1067.

In *specie* I. Reverentia in parentes.

§. 15. Sequuntur ordine speciales virtutes (1.) *Reverentia erga Parentes & Superiores.* Gen. IX. 26. maledictione percutitur Cham cum Canaane suo, quod Patrem risissent. Debuissent igitur parenti, & Seniori honorem exhibere. Nam maledictio præsupponit legem, in quam peccatur. Sustinebat Noachus personam Magistratus politici, summi Sacerdotis, & Patrisfamilias, colendi igitur sunt, qui hoc nomine censentur. *Insanus ille Cham, paternum dedecus, nequissimi risus causam fecit, qui tamen pietate commotus patrem denudatum cooperire debuerat, parentemque summis fovere viribus, qui ebrietate laboraret, vinique criminibus obnoxium se redderet &c.* Cyril. lib. IV. in Gen. Non igitur debemus *fieri similes Cham, qui irrisit turpitudinem Patris sui, & in maledictionem incidit, sed gratias agere pro illis Deo, quoniam in adventu Domini nostri remissa sunt eis peccata.* Verba sunt cujusdam Presbyteri ἀνωνύμου apud Iren. lib IV. cont. hæres. c.50. Legem hanc non infeliciter expressit Siracides c. III. *Ne glorieris in contumelia patris tui: Non enim est tibi gloria, sed confusio. Gloria enim hominis ex honore patris sui: Et dedecus filii Pater sine honore.* Cui junge Procopium Gazæum, qui *paterna jura* urget, cum in historiam Noachicam commentatur. Pontificii hinc colligere volunt, non licere auditoribus reprehendere vitia cleri superioris, præsertim Pontificis, aut etiam errores Patrum; Quibus Resp. histor. Eccles. sec. II. Breviter: Dist.

inter

inter vitia privata morum, & publica doctrinæ; Ista privatus tegere, & dissimulare potest ex lege charitatis, publica autem si fuerint, publicè arguenda sunt, salvo tamen ordine; imprimis si sint scandala doctrinæ. Ex adverso occurrunt duo eximii filii, Sem & Japhetus, qui ex reverentia erga parentem, Senem, Magistratumque suum, pallio nuditatem contegunt, & ansam adeo parenti suppeditant benedicendi. Atque hinc patet, si superiores, sive Magistratus, concionatores, sive parentes, ex infirmitate, & privatim peccent, condonandum ipsis esse delictum, non propalandum, odiosè exagitandum, cum scandalo aliorum, ut fecit Cham. Subodorati sunt aliquid hujus rei Gentiles. Nam *de vario illo pallio, & Chami prophetia* φερεκύδης ἀλληγορήσας ἐθεολόγησεν, *Pherecydes allegoricè dixit in Theologia.* Uti meminit Clem. Alex. lib. VI. strom. f. m. 642. *Ratio* autem, cur ab injuria parentum abstinere debeant liberi, præter alias, est vindicta divina, quæ immorigeros filios suorum liberorum infelices facit parentes; Nam, quo quis peccat, hoc ipso plerumque punitur: Exemplo fit Canaan filius degener Chami filii degeneris. *Nec enim poterat fieri, ut bonum generaret filium, qui bono Patri nequam filius & natura & eruditionis degener extitisset*: scribit Ambros. de Noe & arc. c. 30. Magistratui contra, & parentibus suum quoque incumbit officium. Nempe Magistratus est suos tueri adversus vim injustam, & pœnas irrogare delinquentibus. Gen. IX. 5. 6. vindictam comminatur homicidis per homines, i. e. Magistratum publicum infligendam. *Jubeo*, ita Dei verba eloquitur Joseph. lib. I. c. 4. *ut ab humana cæde puras manus abstineatis, &, qui contra fecerit, severè puniatis.* Sic ille. *Ulciscitur igitur per judices & Magistratus, quibus imperium merum concessum est*, juxta Procop. Gazæ. comm. in h. l. Vulgata obscuriorem reddidit sensum, omissa phrasi: *per hominem*, censente D. Chemnit. part. I. exam. p. m. 101. Facilius enim suum errorem obtinerent Sociniani & Anabaptistæ, negantes Magistratui à Deo traditum esse gladium necis & vitæ arbitrum, nisi *per hominem* pœnas sese sumpturum esse Deus dixisset. Jam vero dicti hæretici apertè refutantur, constituto divinitus ordine politico, qui justitiam exerceret adversus injustos. Et suffragatur Chaldæus Paraphrastes, notante Fagio, explicans locum de ἐξουσίᾳ politici Magistratus. Confer art. V. §. 5.

Ratio.

Officium parentum & Magistratus.

& Dn. D. Calov. Socinis. Loc. de Mag. Politico. Chytræus noster hanc ex verbis Mosaicis definitionem Magistratus componit: *Magistratus politicus est persona à Deo ordinata, & gladio armata, ut sit custos disciplinæ externæ, juxta totum decalogum, & tueatur pacem, & puniat contumaces vi corporali.* fol. 287. in Genes. Brentius ex Gen. IX.4. elicit, licere Magistratui, qui loco Dei sunt, leges quoque condere, ad externam disciplinam & salutem civium facientes, sicut Deus sanxit legẽ de fugienda carne cruda. Negat autem ante diluvium latam fuisse legem de puniendis à Magistratu sontibus homicidis supplicio capitali. Sequitur ex veteribus Sulpitium Severum lib. 1. hist. c.4. Noë *præceptum accepit*, inquit ille, *ne sanguine vesceretur, aut sanguinem hominum effunderet, quia mundi primordia mandati istius liber Cain maculaverat.* Si igitur ante diluvium liberi erant à mandato, E. non peccabant cædem committentes; E. nec gladio erant puniendi homicidæ. Nostra sententia ante diluvium vetita fuit cædes hominum, saltem lege naturæ, & pœna quoque homicidis constituta est, quæ ex metu Caini fratricidæ haud obscurè colligitur. Gen. III. 14. Restaurata autem est lex post diluvium, quia pauci tum homines exstabant, facile extinguendi, si licuisset homines impunè occidere. Confer art. V. §. 5. & art. VI.

2. Abstinentia à cæde.

§. 16. (2.) *Abstinentia à cæde.* Quæstionem: An sit abstinendum? extra dubium ponimus. Nam invicta consequentia elicitur ex Gen. IX. 5. 6. Deus comminatur, sese cædem ulturum esse, cædes igitur displicuit Deo, quod fundamentum est præceptorum negativorum. Sicut autem qui vult finem, is etiam vult media, ita quoq; qui non vult finem, is nec media vult. Ideoque non cædes tantum prohibita est, sed etiam quidquid sanitati hominis nocet, & vitæ obest. Prohibita igitur est non immediata tantum cædes, sed etiam mediata, quæ fit per bestias; Etiam esus carnis crudæ & sanguinis. Nam sanitati officiunt, aut crudelitatis sunt semina, & irritamenta. Interdictum sanguinis habetur etiam Lev. VIII. 17. Deut. XII. 15. Dolendum autem est, quod ne quidem frater à fratre tutus sit. Nam Gen. IX. 5. etiam in *fratre* cædem sese ulturum Deus minatur, Frater igitur fratrem vita privat. Imò Ambrosius à fratribus maximè cædem patrari censet, & hinc fratris fieri mentionem; nempe, *quod magis ab his periculum*

esunt pertimescendum sit, qui fraterno sibi jure sociantur. Hinc etenim insidia, hinc pericula frequentiora hominibus comparantur. de arc. c. 26. Abulens. ad Gen. IX. Caussæ cædis vitandæ aliquot in textu habentur (1.) *vindicta divina* sive immediata, sive mediata, *ut, etiamsi homines effugiat homicida, Dei tamen judicium non possit evadere, sed majori & aterno supplicio reservetur.* Ambros. l. c. (2.) *consanguinitas.* Nam fratres omnes sumus, descendentes ab iisdem parentibus, Adamo & Eva, item Noacho & uxore. (3.) *imago divina*, ad quam homo est conditus; *ea* enim *de caussa, idem* Præsul dicit, *inultum non esse apud Deum, quod in domesticum animal sibi videat crudeliter & impiè esse commissum.* Philo homicidium vocat ἱεροσυλίαν *sacrilegium*, quod multo magis Deus ulciscitur, quam Theodosius ignominiam imagini Placillæ uxoris illatam. Theodor. hist. lib. V. 19. *Objiciunt* Sociniani: Si igitur non licet fundere sanguinem, E. nec punire supplicio capitali. Resp. N. C. si consequens loquatur de vindicta publica. Nam antecedens de privata loquitur. Vide Gerh. Loc. de Mag. Polit. §. 390. Et comm. in Gen. p. 242. *Contraria* vitio huic *virtus* suam & proximi salutem curat. Neque enim noxii cibi solum prohibentur Gen. IX. 4. sed etiam salutares imperantur. v. 3. Neque sua tantum securitas est curanda, sed & proximi, ne alius ipsi noceat; Hic enim finis est pœnarum, impiis constitutarum. 1. Tim. II. 2.

§. 17. (3.) *Castitas.* Deus est ens sanctissimum; Homo igitur, ad imaginem Dei conditus, castitati studere debet. Exemplo id suo docent Sem & Japhet. Nam ne oculis quidem sustinent spectare nudum parentem Gen. IX. 23. *Imitemur autem gratorum illorum filiorum pudorem, quem in contegenda parentis nuditate declararunt*, docente Chrysost. hom. 23. *Litera evidentem pietatis expressit effectum, quod nudatum amictu patrem boni filii videre caverunt, ne paterna reverentia vel ipso minueretur aspectu.* Ambros. de arca. c. 31 *Ex hoc gentes usque adeo tenent insitum pudenda velare, ut etiam barbari illius corporis partes nec in balneis nudas habeant, sed cum earum tegumentis laventur*, juxta August. lib. XIV. C. D. Facit huc, quod poetæ fingebant, latam esse à Saturno (sic Noachum vocant) legem, ne quis Deos nudos spectaret; quod, cum neglexisset Tiresias, à Minerva excœcatum esse. Apparet autem ex Noachi 3. Castitas.

chi

chi nuditate, quod non tantum castitati studere debeamus, sed etiam abstinere ab omni scandalo aliis dando, ne libidine accendantur. Medium castitatis tuendæ est *Sobrietas*, in quam peccaverat Noachus, vino libidinem accendente. *Sine dubio Sanctus Senex Noah filios suos dehortatus est ab ingurgitatione vini, quâ peccarunt antediluviani, & voluit juniores contentos esse aqua.* Juxta Lyser. Noach. p. 358. Cum autem ipse postmodum crapulæ indulsisset, videbatur licentiam & aliis dedisse: Cum potius contrarium inde discere debuissent. *Noe indecora vinolentia descripta est, ἵνα ὡς ὅτι μάλιστα τὴν μέθην φυλαττώμεθα* &c. *ut ebrietatem quàm maximè vitemus, manifestam, scriptisque mandatam lapsus imaginem habentes:* Bene docet Clem. Alex. lib.2. Pædag.c.2. Ambros. de Helia & Jejun. c.5. citante decret. Grat. dist.35. c.8. Chytræ. comm. in Gen. f.288. 289. Imiteris ergo potius continentiam, quæ secuta est ebrietatem. Gen. IX.24. juxta Philonem in libello de plantatione Noe, & ejusdem temulentia & resipiscentia. Ambrosius d. arca c.29. Subtilius, quam solidius, eandem virtutem elicit ex phrasi: *Bibit de vino.* Gen. IX.21. *Non dixit: vinum bibit, neque justus vinum ebibit; sed de vino: h. e. de ejus portione libavit. Ebriosi est omne absorbere vinum, & intemperantis, evacuare. quod sumpserit. Continentia autem utendi mensura legitima est.* Hæc ille: quem sequitur Procop. in h. l. f. 109. Castitati non adversatur *conjugium.* Nam idem Deus, qui probavit verecundiam Semi & Japheti, repetiit institutionem matrimonii Gen.IX.1. *Constituit hoc caput denuo conjugium. Si quidem Deus verbo suo & pracepto conjungit masculum cum femina, ideoque in certum finem, ut repleatur terra hominibus. Quia enim Deus peccato libidinis ante diluvium ad iram commotus erat, ideo tunc necesse fuit propter tam horribile iræ exemplum ostendere, quod Deus legitimam conjunctionem maris & fœminæ non oderit, nec damnet, sed velit per eam propagari genus humanum.* Luther. f.142. enar. in Genes. Haudquaquam igitur conjugium status est, qui obsit perfectioni. Nam Noah *justus.* Gen.VI.9. & *perfectus*, jussus est redire ad usum conjugii, non jubendus, si is esset status carnalis. *Est hoc praceptum magnum, cujus caussa constituta sunt omnia pracepta mundi, utpote quæ hominibus tradita sunt, & non Angelis ministerii*, scribit R. Levi, citante Hotting. jur. Hebr. sect.1. p.6. Confer Chrysost. hom.25. in Gen.

Sobrietas.

Conjugium.

§. 18.

§. 18. (4.) *Justitia.* Proprietas rerum erat recepta. Nam suas habebant urbes sibi proprias. Gen. X. 10. 11. seqq. tabernacula. c. IX. 27. regiones. X. 5. 20. 32. Et licet Gen. IX. 2. seqq. communio bonorum videatur fundari, tamen ordo non excluditur inter singulos suorum bonorum Dominos. Dubium non est, vineam, quam plantavit, & fructus inde decerptos, fuisse Noachi proprios, non aliorum, qui laborem nullum impenderunt. vide Brent. com. in Gen. IX. f. 109. Pelarg. comm. in Gen. X. p. 226. Debuerunt igitur abstinere ab alienis bonis contrectandis. Justitia.

§. 19. (5.) *Veritas* in dictis & factis, etiam *juramento* confirmata. Gen. IX. 9. 10. Deus fœdus init cum hominibus. Hoc vero veritate nititur, ut promissa utraque ex parte præstentur. *Certum est*, scribit Lyserus, *pacta erigi non nudis & simplicibus verbis, sed mutua obligatione, quam partes firmiter se observaturas esse, vel literis & sigillis, vel juramento confirmant; ita, ut non sit liberum cuiquam ab hoc pacto recedere, sed servandum est illud firmissimè. Jam vero de Deo constat, quod sit ipsa veritas & mentiri nescia.* p. 296. Creatus autem est homo ad imaginem Dei. Gen. IX. 6. Ergo etiam ad veritatem, in qua divina quoque imago consistit. Joh. VIII. 44. Eph. IV. 24. Abstineamus igitur à mendaciis, aut temerariis contra proximum judiciis, sequentes iterum Dei exemplum. Gen. XI. 5. Deus dicitur *descendisse*, ut *videret*, quid homines molirentur: *Et descendit, inquit, Dominus, non, ut humano modo intelligamus, sed, ut per hoc erudiamur, nunquam temere fratres condemnandos, neque auditu solo judicandum, nisi pluribus argumentis prius certi reddamur.* Monitum est Chrysost. hom 30. in Genes. Et addit, nostri gratia id scriptum esse. *Omnia enim à Deo ideo fiunt, & ob hoc tanta ad erudiendum humanum genus utitur sermonis attemperatione*, Confer Philon. de confus. ling. f. m. 266. Rupert. de Trinit. c. 34. lib. 4. qui ex Gen. IX. 9. *Ecce ego*: colligit jurisjurandi religionem. Locus omnium clarissimus est Isai. LIV. 9. Nam expressè habetur, quod Deus juravit Gen. IX. 11. aquas diluvianas non amplius exundaturas esse in terram, ut olim factum. Gen. IX. 22. Cham enarrat fratribus suis nuditatem parentis, & sic diffamat parentem, quem, in privatis ædibus peccantem, virulenter traducit. Lyser. p. 45. Veritas.

Fuga concupiscentiæ.

§. 20. (6.) *Fuga concupiscentiæ.* Nam concupiscentia ipsa prohibetur, dum vel figmenta rationis dicuntur esse mala Gen. VIII. 21. *Vocat autem figmentum ipsam rationem cum voluntate, & intellectu, etiam tum, cum de Deo cogitat, cum honestissimis operibus exercetur, sive politicis, sive œconomicis. Semper enim est contraria legi Dei, est in peccatis, & sub ira Dei, juxta* B.Luther. enar. f. 139. Atque hanc profundissimam malitiam non intelligimus ex natura, sed ex Deo revelante, qui intima cordium scrutatur, & denudat. Est autem veri nominis peccatum, utpote quod meretur iram divinam, & vindictam. *Typi* & figuræ, hinc virtutum prosequendarum, inde vitiorum fugiendorum, erant animalia vel licita, vel vetita, seu munda, & immunda. Gen. VIII. 11. Cum enim in quibusdam occurrant simulacra virtutum, in quibusdam vitiorum, sapientissimo Dei consilio cautum est, ut à quibusdam abstinerent sive vescentes, sive sacrificantes, quibusdam autem utroque in casu uterentur, i. e. discerent abstinere à vitiis præfiguratis, & studere virtutibus contrariis. Vide Rivet. exerc. 55. §. Ad dist. in Genes.

Conclusio.

§. 22. Hactenus decalogus Noachicæ Ecclesiæ. Etiamsi igitur Moses decalogum diu post scriptis mandarit, & publicarit, tamen jam ante eadem præcepta extiterant: *Decem illi sermones in tabulis nihil novum docent, sed, quod obliteratum fuerat, admonent, ut justitia in illis, ignium more, quasi afflatu quodam legis sopita, recalesceret,* Scribit quidam Novatianus in epistola de cibis Judaicis c. 3. Facit hoc contra Pontificios, dum traditiones, à scriptura alienas, probare volunt ex traditionibus Noachicæ quoque Ecclesiæ. Vid. Chemn. C. T. part. 1. p. 26. adeo, ut etiam regeniti possint labi, & labantur.

(III.) *Imperfectio & possibilitas labendi.*

§. 23. Imperfecta est hominis renovatio passiva, & subjectiva. Gen. VIII. 21. dicitur cor hominis, nullo excepto, esse malum ab ineunte ætate, ad illud usque tempus. *Attendendum, de quibus hominibus Deus hoc pronunciet*, nempe de egressis ex arca, in quibus erant Noah, Sem, Japhet, homines regeniti & sancti, nihilominus & ipsorum figmenta erant mala. Gen. IX. 29. Noah dicitur esse mortuus. Fuit igitur infectus peccato, cujus stipendium mors est. v. 21. inebriatur, & nudus filio dat scandalum. *Quo exem-*

exemplo monstrat divina scriptura, & justos sæpe lapsos, & peccatores magnam agentes pœnitentiam, quo utrinque sufficiens nobis esset remedium, &, neque, qui stetit, confidentior sit, videns & justos cecidisse, neque, qui in peccatis est, desperet, visis tot, qui resipuerunt, & ad summum veritatis apicem pervenire potuerunt. Bene Ambrosius c. 11. de arc. *Quid mirum, si homini obrepit error, aut se relaxat intentio? Argue, ergo, quia & justus inebriatus est.* Et Luther. t.2. *Scriptura*, inquit, *etiam summos Ecclesiæ heroas ostendit homines fuisse. h. e. sæpe lapsos esse, sæpe peccasse.* Typis rem illustrant. Cyprianus sistit columbam, quæ requiem non invenit extra arcam: *Columba*, scribit, *quæ pedibus suis requiem habere non poterat, lapsorum imaginem portabat, qui immemores divinarum prædictionum vel simpliciter ignorantes, vel audacter dissimulantes ceciderunt.* In epistola ad Novatianum. Cyrillus allegat corvum: *Quod nonnullis temporibus aliqui ex Israelitico sanguine discessuri à fide essent, corvus ille, quem Noë ex arca emisit, planè significat.* Illustrat & exemplo columbæ, emissæ quidem, sed non reversæ. Quod si imperfecta sunt bona nostra opera, etsi regenitorum, non erunt meritoria ullo modo. Gen. IX. 26. commiserat Sem regenitus & justificatus insignem virtutem, patrem obtegendo, nihilominus Deo Noa benedicit, ob futuram in Semum gratiam, tribuens adeo omnem Deo gloriam, non Semo homini. *Sic decet pios, Deo accepta referre bona; quæ vel ipsis, vel liberis eorum contingunt, & pro iis reverenter illi gratias agere*: Marbach. in l. c. Objicis ex Gen. VI. 8. 9. quod fuerit Typus. Objectio.

Perfectus laude, & sine culpa Noa repertus.
Testificante Deo justus in adultera plebe.

uti canit contra Marcionem lib.3. auctor, quem Tertullianum vocant. Resp. Hieron. quæst. in Gen. X.4. opp.f.92. *Signanter ait: in generatione sua, ut ostenderet, non juxta justitiam consummatam, sed juxta generationis suæ eum justum fuisse justitiam.* Confer August. C. D. lib.XV. c.25. Eucher. in Gen. vi. c. 19. Albin. quæst. in Gen. f. 1064. orth. Patr. Gerh. de leg. §.195. Rivet. exerc. 52. in Genes. Perer. in Gen. lib. 2. t. 2. §. 25. Quia igitur *nemo mundus à sorde, necessarius est omnibus fons divinæ in Christo misericordiæ, & pari voto debent ad hunc fontem Noah, Daniel, & Job properare.* Recte scribit Bernh. Serm. 1. in Dom. Natalem.

inchoatio novæ obedientiæ.

§. 23. Neque vero hoc volumus, quod omnia piorum facta sint peccata. Nam habent suos etiam bonos motus animi, & hos ipso opere declarant, cum coram Deo, tum coram hominibus. Gen. VI. 5. dicuntur omnia humani cordis figmenta *tantum* mala; sed Gen. VIII. 21. ubi de regenitis sermo est, non dicitur *tantum*, & *omni tempore*, sed mala esse, Nam *pii etiam interdum ambulant secundum legem & præcepta Domini*, scribit Lyser. Noach. p. 239. Et patet ex sacrificio Noah, quippe quod Deo placuit. Gen. IIX. 21. pietate Semi & Japheti, cujus gratia benedictionem acceperunt. v. 26, 27.

IV. *Finis* est *Mors*, duplex violenta vel naturalis;

§. 24. *Terminus* hominis est *mors*. Genes. IX. 29. Duplex est, vel *naturalis*, ut in Noacho, Semo, Arphaxade, reliquis Patriarchis; vel *violenta*, ut in iis, qui in diluvio perierunt: *Deus enim intuitu impietatis terminum naturalem præscindit, & amputat, sicut iis, qui in diluvio misere perierunt*: scribit Gerh. ad Gen. VI. p. 190. §. 7. Ante parentem suum defunctus esse vita scribitur Haran. Gen. XI. 28. Et quidem, juxta traditionem Judæorum, quam refert, sed merito fabulosam censet, Hieronymus, igne consumptus esse, cum nollet idola colere; Hieronymo suffragatur Perer. in l. c. Genes. Sicut & illud falsum est, quod primus hic Haran filius ante parentem demortuus sit. Nam jam ante diluvium filius vita prior defunctus est parente, nempe Lamech, pater Noë, ante Methusalemum, suum parentem. Salian. an. 1909. §. 2.

Anima est immortalis.

§. 25. *Anima* hominis defuncti est *immortalis*. Gen IX. 26. laudatur Deus Semi, vivi quidem adhuc, sed quia nullum tempus exclusum est, etiam mortui, ut erat Deus Abrahami, Isaaci, & Jacobi; Sem igitur quoad animam post mortem erat superstes. Nec enim Deus est mortuorum Deus. Matth. XXII. 32. *Objicis*: Gen. IX. 4.

Obj.

Sanguis dicitur esse in anima carnis: Videtur igitur ipse sanguis esse anima, ut adeo hæc sit mortalis, quia sanguis est mortalis, & corruptibilis. Resp. verba בנפשו דמו vertuntur ab Aquila: *ἐν ψυχῇ αὐτοῦ αἷμα αὐτοῦ*: i. e. *in anima ejus sanguis ejus*; Aliud autem est, animam esse ipsum sanguinem: aliud, esse in sanguine; & contra. Est igitur sanguis animæ receptaculum, & sic animatus vita est animalis adhuc vivi. vide Roam in sing. lib. IV. c. 8. Et thesin sequentem.

Ry.

§. 26.

§. 26. IV. *Glorificationis* ſtatus initium ſumet à *reſurrectiore mortuorum.* 1. Cor. XV. 42. ſeqq. Probatur hæc ex Gen. IX. 5. ubi Deus comminatur ultionem ab homicidis de cæde commiſſa ſumendam: *Repoſcam*, inquit, *ſanguinem. Nihil autem exquiritur, niſi quod repoſcitur, nihil repoſcitur, niſi quod & reddetur; & utique reddetur, quod ultionis nomine repoſcetur, & exquiretur. Neque enim vindicari poterit, quod omnino non fuerit, erit autem, dum reſtituitur, ut vindicetur. In carnem itaque dirigitur, quidquid in ſanguinem prædicatur, ſine qua non erit ſanguis; caro ſuſcitabitur, ut ſanguis vindicetur.* Collectio eſt acutiſſimi Philoſophi Tertulliani lib. de reſur. c. 28. quam repetit c. 39. *Nam*, inquiens, *& de reſurrectione mortuorum apud Moſen ſcriptum commemorans, corporalem eam notat, in quâ ſcilicet ſanguis hominis exquiri habebit.* Hæc ille. Confer Theodoret. quæſt 54. in Geneſ. ἀνιτήσεται (Gen. IX. 5.) *τὴν ἀνάστασιν, inſinuat reſurrectionem: Non quod beſtias vocaturus ſit in judicium, & de his ſupplicium ſumpturus, eo, quod homines devorarint: Sed, ut congregaturus corpora, ab ipſis conſumpta, & illa ſuſcitaturus. In manu enim ejus ſunt omnes fines terræ, & eſt illi facile undecunque corpus noſtrum congregare. Et hic quidem iſtud indicat αἰνιγματωδῶς obſcurè; per Ezechielem autem σαφέστερον clarius, reſurrectionem prædicavit.* Hæc Epiſcopus Cyrenſis. *Typus* hujus myſterii fuir egreſſus ex arca Noe. Gen. VIII. 15. Sicut enim Deus juſſit Noachum cum ſuis egredi ex arca, in qua veluti ſepulchro hactenus detinebantur; Ita in dic extremo jubebit nos in ſepulchris hactenus locatos prodire in novam terram, nempe viventium, quæ eſt cœlum. Frequentiſſime typus hic pingitur in monumentis veterum, inter alia reſurrectionis futuræ Symbola, quod videas ex Roma ſubterranea Boſii & Aringhii. Sicut igitur Deus juſſit Noâ egredi, ita ejusdem virtute reſurgemus; ſicut idem animâ & corpore prodiit Noe; ita iidem nos quoque cum eisdem animabus & corporibus reſurgemus: Promittit enim Deus, ſeſe ſanguinem, illum ipſum, qui fuſus eſt, requiſiturum eſſe.

VI. *Glorificationis*, antecedentia; ut *reſurrectio* mortuorum

Typus.

§. 27. *Conſummatio ſeculi.* Signa à quibusdam dicuntur præceſſura eſſe diem extremum, nempe defectus Solis & Lunæ, naſcentium terræ, iridis &c. Sed Gen. VIII. 22. promittit Deus manſuras tempeſtates, & nunquam deſitura ſemina, meſſem, ca-

Conſummatio ſeculi.

lorem & frigus, æstatem & hyemem, dies atque noctes: *Secundum literam significat permansura manentibus secundum institutionem Domini, & statum suum incorrupta temporibus animalia, vel memorata futura omnia*: ait Ambros. de arc. c.23. Vel, ut Lutherus noster loquitur: *Dicit: non quieturam noctem, non diem, non æstatem, non hyemem: Ergo manebunt istæ vices naturæ, neque ulla unquam Eclipsis totum diem hominum oculis adimet.* enar. f. 141. confer Philon. antiqq. Bibl. Abulens. Gen. IX. q 8. Perer. lib. XIV. Gen. t. 2. disp. III. §.101. Dum autem Deus meminit *dierum terræ* Gen. IIX. 22. subinnuit desituros istos esse, & successuros *dies cœli, ubi hæ vicissitudines locum non sint habituræ. Civitas enim Dei nec luna, nec sole eget, ut in ea luceant, sed claritas Dei illuminabit eam, & lucerna ejus erit agnus.* Apoc. XI. 23. Meditatio est B. Lyser. Noach. p. 247. Confer Gerh. Loc. de consumm. sec. §.7.

Obj. *Objicis*: Si non cessabunt dies & noctes. E. mundus erit æternus.

℟. Resp. non cessabunt ante tempus à Deo definitum, quod erit dies extremus, ut §.17. explicat Gerhardus.

Typus. *Typus* fuit diluvium. Unde origenes hom. 2. in Genes. docet, diluvium *formam tenere finis illius, qui vere futurus est, mundi*. Ex Luc. XVII. 26. 27. certe ex hoc loco patet, eadem, quæ ante diluvium, grassatura esse etiam ante diem extremum, ut, sicut diluvium pœnas sumpsit ab incredulis & impiis à se deprehensis, sic dies extremus de hominibus suo tempore futuris. Atque ex hisce moribus felicius & certius colligitur *tempus imminentis diei extremæ*, quam annis 600. Noachi, quod fecit Prosp. part. 1. de promis. c.8. *Igne* consumptum iri mundum colligunt ex flavo & sulphureo seu igneo iridis colore, argumento probabili magis, quam apodictico.

Judicium extremum. §. 28. *Judicium extremum.* Gen. IX. 11. negat Judex omnis carnis, Filius Dei, se amplius diluvio puniturum esse homines, tacitè innuens, alio quodam modo judicium sese instituturum. v.5. dicit sese sanguinem innocentem requisiturum esse etiam ab homicidis, & ulturum; hoc vero non semper fit in hac vita, multis impunè dimissis, fiet igitur in judicio extremo. Neque dubium est, quin concio Enochi, de futuro judicio extremo epist. Jud. v. 14. Noacho quoque fuerit nota, quippe qui natus est annos 69. post translatum Henochum, recenti adhuc memoria concionis de judicio extremo futuro.

§. 29.

Ingredientia ut vita æterna; ejus nomen.

§. 29. Consequens judicii hujus erit apud quosdam (1.) *Vita æterna.* Innuitur Gen. IX. 26. per tabernacula Semi; ad quæ Japhet evocandus erat; *ad possessionem videlicet in eadem terra sanctorum omnium, ut promissum atque præmonstratum est, communem futuram. Hinc adeo undequaque homines, sive servi, sive liberi, credentes in Christum, & veritatem, quæ in ipsius & prophetarum ejus oraculis est, cognitam habentes, sciunt cum illo se in ea terra futuros, & hæreditatem sempiternorum incorruptibiliumque bonorum adituros esse.* Verba sunt antiquissimi scriptoris Justini Martyris dial. cum Tryph. f.289. in quibus veluti commentario locum nostrum explicat. Intelligit ille per tabernacula Semi ipsam vitam æternam, & vocat *terram sanctorum*, & *hæreditatem sempiternorum & incorruptibilium bonorum.* Addit causas, nempe Christum, & fidem in ipsum, fundatam in S. literis, & *certam* de salute. Nam quia hæreditas est, excludit nostra merita, soloque Christi merito contenta tuto in ipso acquiescit. Suffragantur alii. Origen. hom. 2. in Genes. *Fide*, inquit, *Trinitatis ad longitudinem vitæ immortalitatemq; descendit.* Chrysost. hom. 27. in Genes. postquam exempla Abelis, Enochi, Noe, Abrahami, fide justificatorum & salvatorum recensuisset, concludit: *Sic ab initio per fidem humanum genus salutem consecutum est.* Rupert. de Trinit. lib. IV. c. 34. *Deus*, scribit, *accepta fide hominum, dat hominibus eundem Christum filium, ut salventur per ipsum.* Deducit rationem ex fœdere divinitus percusso Gen. IX. 9. Si ex fide vita æterna, ex gratia est, alias hæreditas non esset, nec firmum esset testamentum. Bene Ambros. de arc. c. 11. ex verbis Gen. IX. 9. colligit, ideo Deum testamentum statuisse, *quia ipse* (Noah) *divinæ est hæres gratiæ, ipse cœlestis possessor hæreditatis, beatissimorum consors bonorum:* Atque hoc propter Christum, *qui pauper factus est, cum dives esset, ut illius inopia ditaremur.* Et Cyrill. lib. III. in Genes. *In Christo per fidem salvati sumus.* Hoc illi. *Subjectum* felicitatis hujus sunt homines ab æterno *prædestinati.* Vide Rupert. ad Gen. IX. 1. (3.) *Typus* fuit arca Noe, in qua servati sunt homines inclusi: τὸ μυστήριον τῶν ἐπὶ τοῦ κατακλυσμοῦ γέγονε: *salvandorum hominum sacramentum in diluvio fuit*, ait Justin. dial. f. 288. Et deducit ex Esai. LIV. 9. verba sunt: *Cum ergo propheta dicit: In Noe servavi Te:* τῷ ὁμοίως πιστῷ λαῷ πρὸς θεὸν ὄντι, καὶ τὰ σύμβολα ταῦτα

Caussæ.

Subjectum.

Typus.

ἔχοντι

ἔχοντι ad populum Deo æquè fidelem, & signa hac habentem loquitur. Nempe, clarius loquendo, sicut fides servavit Noachum in diluvio. Heb. XI. 7. sic fides nos salvat in baptismo, & ducit ad vitam æternam. vide Orig. hom. 2. & Isidor. c. 14. in Genes. Hæc cum ita sese habeant, *Quid potest pio cordi magis gratum evenire, quam si intelligat, Noachum eandem habuisse fidem, & confessionem de Messia* (Gen. IX. 26. 27.) *ante ter mille annos, qua adhuc hodie sonat in nostris Ecclesiis? Et si intelligat, ipsum hac fide præditum, feliciter obdormiisse, eâque salvatum esse, quid aliud sperabit, quam, si & ipse in eadem constanter ad extremum vitæ halitum usque perseveret, se quoque eadem ratione salvatum iri, & in sinu Abrahæ, cum Noacho, atque reliquis ejusdem fidei sociis conventurum?* verba sunt B. Lyseri Noach. p. 360.

Oppositum Æterna damnatio.

§. 30. *Æterna damnatio.* Esse talem futuram colligitur ex veritate & justitia divina. Gen. IX. 5. Deus comminatur homicidis ultionem; hæc vero non reposcitur ab ipsis semper in hac vita, ergo *majori & æterno supplicio reservantur.* Ambros. d. arc. c. 26. Et Eucher. Lugd. comm. in Genes. IX. c. 43. *Quicunque eos temporali morte mulctaverit, perpetua morte h. e. damnatione punietur.* Luther. enar. in Genes. f. 163. ubi commentatur in Gen. IX. 26. 27. & expendit, quod Cananæis bene fuerit, etsi maledictis & impiis, male autem Semitis, etsi benedictis, *Hæc argumento sunt*, concludit, *non esse hominem conditum ad hanc vitam. Nam cum impiis tam sit bene in hac vita, restat alia vita, in qua affligentur: Sicut è contra pii in vita alia sentient afflictionum, quas hic sustinent, æternam compensationem.* Confer. Tertul. de resur. c. 28. Theodor. quæst. 54. in Genes. Damasc. lib. IV. orth. fid. c. 28. *Caussæ* igitur *meritoriæ*

Caussæ.

erunt peccata hominum, quæ in hac vita perpetrarunt. Confirmatur ex Judæ epist. v. 14. ubi habetur concio Henochi de futura impiorum damnatione; caussam enim assignat ἀσέβειαν & ἔργα ἀσεβείας, *impietatem*, & hujus *opera*. *Proxima caussa* erit infidelitas, qua laborarunt adhuc vivi, nolentes Noacho fidem habere. 1. Pet. III. 20.

Sectio IV.

DE ECCLESIA ET EJUS ATTRIBUTIS.

Argumentum.

Ecclesiæ definitio, auctor, materia, forma interna, & externa, attributa, ut sunt unitas, indivisa in se & divisa ab aliis, sanctitas doctrinæ, salvifica, sanctifica, solatiflua; Virtutum, cultus externi, charismatum, ut doni prophetiæ; & miraculorum: Locorum, temporum, non reliquiarum; Catholicismus doctrinæ, locorum, temporum. Adjuncta Ecclesiæ vel bona sunt, vel mala; atque hæc vel culpæ, ut sunt scandala doctrinæ, cultus, & morum; vel pœnæ, ut sunt persecutiones à Chamo, Nimrodo, & reliquis mota. Utrique malorum generi remedia adjunguntur.

§. I.

Ecclesia. (1.) **Definitio.**

Cœtus hominum vocatorum, conversorum, justificatorum, renovatorum, & salvandorum, vocatur *Ecclesia.* Hujus *definitionem* ex Gen. VI. concinnavit Chytræus hanc: *Est cœtus justorum*, qualis erat Noah Gen. VI. 9. Sem & Japhet, Gen. XI. 26. seqq. *qui amplectuntur verbum*, nempe promissionis de venturo Messia, Gen. IX. 26. 27. *in quo se Deus patefecit*, quod velit propirius esse mundo. Gen. VIII. 21. IX. II. *& sanctificati per spiritum sanctum*, qui docet nos orare. Gen. VIII. 20. 21. *vera invocatione, prædicatione*, ut colligitur ex Gen. IX. 26. 27. *Confessione*, cujus species sunt sacrificia. Gen. VIII. 20. 21. *& morum integritate Deum colunt*, ut Sem & Japhet. Gen. IX. 23. *& in omnibus periculis*, ut in diluvio, *à Deo custodiuntur, & gubernantur, & tandem vitæ æternæ hæredes fiunt*, ut Noah. Ebr. XI. 7. Ex qua definitione patet, Deum esse Ecclesiæ auctorem; constare autem Ecclesiam ex sanctis, & multis obnoxiam esse periculis. *Deus auctor* est. Nam ex reliquo infidelium cœtu evocavit & separavit Noachum cum suis septem animalibus, ut in arcam concederent, Ecclesia posthac futuri. (2.) **Auctor.** *Membra* sunt homines justi, sancti, & perfecti, ut Noah, Sem, & Japhet cum reliquis: (3.) **Materia.** colliguntur ex variis populis & gentibus, ut ex arca, typo Ecclesiæ, videre est apud Origen. hom. 2. in Genes. Isid. c. 14. in eand. Nec Noachus dissimulat Gen. IX. 27. cum Japheto in tabernaculis Semi habitationem promittit. *Christus* enim *omnes vocat ad possessionem*

U

sionem videlicet in eadem terra sanctorum omnium, ut promissum, atque præmonstratum est, communem futuram. Justin. Mart. dial. f. 289. Et f. 285. *Quandoquidem duobus filiis tertii semen in servitutem dederat Noë, rursum nunc utrorumque & liberorum, & qui inter eos sunt, servorum, filiorum restituendorum gratia advenit Christus, eodem loco habens omnes, præcepta sua servantes.* Prædixit igitur Noah, quod ex Semitis, Japhetitis, & Chamitis Ecclesia colligenda sit per Christum, in quem erant crediturі. *Forma interna* est *fides*, per charitatem efficax. Nam Noah fide inductus fabricavit arcam, & ingressus est cum suis, omisso mundo profano. Heb. IX. 7. 2. Pet. II. 6. *Externa* est habitus doctrinæ & cultus publici, quem observant homines ab aliis separati.

(4.) *Forma* interna & externa.

§. 2. Etiamsi enim Ecclesia, qua vera est, sit invisibilis, tamen externis quoque ritibus & ceremoniis sese prodit, ut alii sese ad ipsam congregare possint. *Nam quis de illo dubitabit, quin sancti patres habuerint semper cœtus suos, & conventicula sua, ubi docerent juventutem, ubi concionarentur, orarent, prophetarent, laudarent Deum? Non enim Ecclesia sine verbi assiduo usu existere potest, & semper habuit Ecclesia sacramenta sua, seu Symbola gratiæ, & ceremonias. Sic Habel & Cain ad sacrificia à patre assuefacti, qui tum cultus Dei erat, sacrificabant. Ad hunc modum Sem conventicula, conciones, cultus, sacrificia, & alias cerimonias habuit, quæ usque ad Abraham durarunt.* Luther. enar. in Gen. X. f. 165. Innuitur ritu sacrificiorum, quæ mactavit Noachus: *Ex his* enim *patet, quæ fuerit religio Patriarcharum, quam Noachus in novo hoc mundo ex Dei ordinatione instituit. Neque enim statuendum est, hæc sacrificia mutam fuisse actionem, sed, quemadmodum postea legimus, Salomonem sacrificantem verbis præivisse toti populo: Item, Simeonem benedictionem instituisse ad Mariam, & puerum Jesum, cum illa juxta legem Mosis sacrificium purificationis offerret: Ita dubium non est, Noachum hic verbis præivisse, atque sacrum Dei cultum sic ordinasse, ut conjunx, filii, & nurus eundem una cum ipso perfecerint. Ideo procul dubio prociderunt in genua, sicut & pingitur, & elevatis in cœlum manibus disertis verbis testati sunt, quid sibi velit hic ipsorum cultus.* Et alibi: *Ædificat ergo altare, non tantum, ut certum habeant locum, in quo conveniant ex diversis suis habitationibus, quoties Deum colere, eum invocare, & prædicare vellent; sed &, ut in altari, ceu in editiore loco sacri-*

sacrificia sic peragerentur, quo omnes & singuli ea, quæ ibi peragebantur conspicere & audire possent, ut & ipsi visibili hoc exercitio ad majorem animi devotionem excitarentur. Sic videmus Ecclesiam religionem suam nunquam sine cæremoniis exercuisse. Verba sunt B. Lyser. Noach. p. 219. quæ integra subjicere voluimus, quia exactè formam externam describunt. Ordinis gratia distribuamus (1.) *In prædicationem verbi*, qua fungebantur pastores, auditoribus præsentibus & audientibus: Materia concionum, quæ fuerit, ex sacrificiis colligere est: nempe primarius articulus erat de Christo, aliquando incarnando, passuro, morituro, idque propter nostra peccata horumque pœnas, ut expientur. Hunc explicabant prius, quam sacrificium offerrent: Debet enim cultus noster esse λατρεία λογικὴ, Rom. XII. 1. Explicationi subjungebant confirmationem, & quasi concionem realem, nempe sacrificia, vide Danæ. de 1. Mundi ætat. p. 393. & 449. (2.) In *sacrificiis* observanda sunt varia. *Exstructio* altaris. Gen. VIII. 20. Quæ materia fuerit, octo lapides? ut vult historia scholastica; an terra aggesta? in dubio relinquimus cum Abulens. in Gen. VIII. q. 15. Tumultuaria opera excitatum esse sentit Chrysost. hom. 27. in Genes. Id certum est, quod fuerit mactandis bestiis destinata machina; Nam vocatur מזבח à זבח *mactare*. An hæc primi altaris fuerit structura? quærunt. Nobis negativa placet. Nam ante diluvium legimus sacrificia fuisse etiam oblata, dubio procul in loco quoque editiore, qui crucem Christi sublimem præfiguraret. Vide Rivet. exerc. 55. in Gen. Sunt, qui putant, hoc fuisse illud ipsum altare, quo Adam ante diluvium usus est, ut ex Rabbinorum traditionibus refert Jonathan in Targum. Sed literæ traditio reclamat. Nam ויבן & exstruxit altare Noa: Ergo novum fuit, non vetustum. Vide Gesner. disp. IX. in Gen. p. 208. Merc. in Gen. VIII. Danæ. antiqq. Mosai. p. 450. Schotan. de sec. m. ætat. f. 12. *Impulsiva* causa fuit gratitudo Deo præstanda pro liberatione ex diluvio facta, & supplicatio pro futuro quoque auxilio. *Objectum* enim, cui structa est ara, Deus fuit יהוה, qui, quod promisit, etiam præstat, & ratum facit. *Materia* oblata erant animalia munda, nempe septimum quodque ex septenis arcam ingressis, eo fine asservatum. Erantque vel gressilia, vel volatilia. Obtulit igitur ex bob[illegible] unum, ex capris unum

In specie 1. prædicatio verbi,

2. administratio *sacrificiorum*: eorum locus,

caussæ.

objectum.

materia.

Forma. unum, ex columbis unum, & reliquis mundorum speciebus: *Forma* apparet ex עולה holocaustum, cœlum conscendens, postquam ab igne consumebatur. *Erant* עולות *ejusmodi sacrificiorum species, quæ detractis extis integra aræ imponebantur, ac præter pellem tota & integra igni cremabantur, unde Græcis dicebantur* ὁλοκαυτώματα, *&* ὁλόκαυστα. *Hebræis ab ascendendo.* Verba sunt Gerh. comm. in Gen. VIII.

Finis. Caussa *finalis*, præter gloriam Dei, erat utilitas Ecclesiæ, quæ his veluti nervis continebatur, & simul informabatur de vero cultu Dei. Accurate de fine hoc loquitur Johannes Mercerus: verba integra adscribam: *Post egressum Noe ex arca describitur ejus gratitudo ergo Dominum, quam, cum vel animo tantum, vel linguæ confessione testari potuisset, cum nulla tunc lege teneretur ad altare faciendum, aut ad sacrificandum. Licet non dubitem, eos jam inde à primis parentibus sacrificiorum ritum & totam rationem velut per manus traditam accepisse, ita tamen silentio præterire noluit, quin externis etiam signis, ac velut sacramentis, tum ad se exercendum, tum suam familiam instituendam, ac magis in Dei timore confirmandam suam pietatem, fidem, obedientiam, ac gratum animum in Deum pro tanta liberatione exhiberet. Fuerunt sacrificia veteribus Patribus etiam longe ante legem, & jam inde ab Adamo ad Noe, & ad Abrahamum usque & Mosem externum pietatis ac religionis, ac quisq; in sua familia, velut Sacerdos ac Doctor erat, cum nondum Sacerdotium institutum esset, donec ea tandem tota res, & sacrificiorum ritus literis sunt à Mose consignata.* Hæc ille optime. Nisi quod ex arbitrio humano fluxisse ritum dicit. Nam Deus ipse instituit, idem qui & probavit, fatente Jesuita Pererio lib. 13. in Gen. disp. 12. §. 99. t. 2.

Locus. *Locus*, ubi cultus ille fuit celebratus, & altare conditum, variè à variis assignatur. R. Levi refert *quod*, secundum Rabbinos, *aræ omnes, quas fecerunt primi, fuerint in monte Moria, in loco, in quo domus sanctuarii ædificata est.* Lucianus de Deucalionæo diluvio verba faciens, inter alia sic refert: βωμούς τε ἔθετο, καὶ νηὸν ἐπὶ τῷ χάσματι ἥρης ἅγιον ἐστήσατο, i. e. *aras posuit, & fanum super hiatu Junoni sacrum constituit.* Alii planitiem Armeniæ, montibus Ararat subjectam, malunt: quorum probabilior est sententia. Ea enim prima cura fuit pientissimi Noachi, ut χαριστήρια Deo solveret: statim igitur, atq; egressus erat, egressus autem est in Armenia, struxit arã, & in ea sacrificavit. Genebrardus igitur an. 1734. merito dicit

dicit: in Armenia potissimum Ecclesiæ locum fuisse. Gen.IX.27. mentio fit tabernaculorum Semi, *ut plurimum autem, præsertim in Genesi, sumitur pro locis sacris*, judice Boulduc. lib. 2. ante leg. c.5. Et comm. in Job.VIII.22. XV.34. Probabiliora hæc sunt, quam quæ idem de בית־עברה ex Joh.I.28.philosophatur, quam exponit: *domus Eberis, quod ab Eberis temporibus locus jam fuerit solitudini dicatus, in quo sanctissimus ille Cinæorum Archimandrita (qui deinceps ab eo nominati sunt Hebræi) vel ad docendum, vel ad orandum etiam se recipere, ac recolligere solebat, vel in quo suæ mansionis cœnobium elegerat.* Hæc ille: Sed nullo fundamento. Vox עברה nihil probat. Nam vadum, trajectum, navem significat, q. d. *domus vadi*, ubi navibus solebant trajicere. Fuerit autem domus Eberis, an propterea cœnobium? Similis perversio est vocis קרית ארבע in קרית עברא *urbem Eberis*. Gen XXIII. 1.2. Meliora sunt, quæ Gesnerus noster ad Gen.X.11. meditatur, nempe, quod Assur juxta nomen Nini, sui filii, appellarit Niniven, Deoque civitatem dicarit, quæ exinde dicatur civitas לאלהים Dei. seu Deo dicata Jon.III.1.3. Egressus erat ex civitate mundana Chamitarum, & Nimrodianorum, quod vera religio intercidisset; Novam igitur religioni quæsivit sedem, & invenit in Assyria, cui nomen dedit, nominatim in civitate Ninive. Sed revertimur ad Armeniam, & Noachum. Eodem in loco videtur & *epulum* adornasse. Gen.IX.22. habetur de ebrietate Noachi. Censent Joseph. lib. 1. antiq. Mos. c.4.7. & Chrysost. hom. 27. in Gen. sacrificio oblato *epulatum una cum familia sua fuisse*, & inebriatum, vino largius hausto. *Tempus* dubio procul fuit dies septimus, jam in paradiso cultui sacro destinatus. *Ego non dubito, quin die cujusque hebdomadis septima, tota familia Noachi solenniter convenerit ad audiendum Noachum concionantem; & ad precandum Deum.* Scribit Danæ. antiq. Mosaic. p. 451. confer supr. §. 12. epulæ.

§. 3. *Attributa* Ecclesiæ sunt (1.) *Unitas.* Fuit enim Ecclesia vera *indivisa in sese*, ut innuitur Gen.X.21. Nam Sem dicitur frater, non Chami, sed Japheti, ut ostendatur, *nobis cum impiis nihil debere esse commercii*, Pelarg. h. l. sed cum fidelibus debere jungi. Gen.IX.1. Noah cum filiis accipit benedictionem à Deo, conjuncti igitur erant, sicut in benedictionis acceptione, ita in sacrificii quo-

5. *Attributa* ut *Unitas*, qua est indivisa in se.

quoque oblatione, i. e. cultu sacro præstando. Unum erat corpus, quod constituebant, Ecclesiam nempe visibilem, cujus erant membra; unus erat spiritus, quo ducebantur, una spes vocationis, nempe vitæ æternæ impetrandæ; unus Dominus, qui eos à peccatorum pœnis tutos præstabat. Gen. VIII. 21. unum sacrificium, quod offerebant; una fides, quam exponit Noe Gen. IX. 26. 27. *Hæc promissio tanquam sol illis seculis præluxit, ut viderent pii diem Christi ex longinquo, & in ea spe vincerent, quidquid incommodorum ingratus mundus, & infensus hostis Satan objicerent.* Luther. præfat. in secund. tom. enar. f. 1. unus denique Deus, & pater omnium. Nam offerebant ליהוה Gen. VIII 20. *Figuram* faciunt bituminatam arcam. *Quod enim bitumine glutinantur arcæ ligna intrinsecus & extrinsecus, ut in compage unitatis significetur tolerantia charitatis, ne scandalis Ecclesiam tentantibus, sive ab eis, qui intus, sive ab eis, qui foris sunt, cedat fraterna junctura, & solvatur vinculum pacis.* Scribit August. lib. XII. contr. Faust. Manich. c. 14. Origines quærit in uno cubito, *Ad unum*, inquiens. *totius constructionis numerum summa revocatur, quia unus Deus Pater, ex quo omnia, & unus Dominus, & una Ecclesiæ fides, unum baptisma, unum corpus, & unus spiritus, & ad unum perfectionis Dei finem cuncta festinant.* hom. 2. in Gen. cui subscribit Prosper. 1. part. promis. c. 8. Propius accedunt Justinus, & Eucherius; Iste; Nam ex Gen. IX. 26. 27. colligit unitatem aliquando futuram inter Semitas & Japhetitas. *Christus*, inquiens, *juxta omnipotentis Patris datam sibi potestatem, advenit ad amicitiam, ad pœnitentiam, καὶ συνοικίαν & unius habitationis consuetudinem omnes vocans.* Dial. f. 289. Hic vero ita scribit. *Typum hujus unitatis deinde gessit gens Hebræa, unius labii cœtus, & antiqui. Eo tempore, quando linguarum facta est varietas, in sola domo Heber, quæ antea fuit, lingua remansit. Ita & nunc in sola Ecclesia, quæ est domus Christi, unitam esse confessionis & fidei pacem, divisis omnibus reprobis.* Id Gen. XI. c. 7. Non absurdum est, quod de linguæ unitate monet. Nam decet in Ecclesia iisdem formulis & phrasibus orthodoxis uti, ne discordia inter confessores oriatur. Vide Rivet. Isag. 182. Bene Lutherus: *Beata erat universa terra aliquandiu post diluvium: Erat enim unus sermo omnium, quod non exiguum vinculum fuit concordiæ, & ad religionis doctrinam conservandam imprimis erat utile.* enar. f. 164.

§. 4. Ex

§. 4. Ex adverso Ecclesia erat *divisa à quovis alio cœtu.* Laudat Theodoretus quæst. 50. in Gen. Noachum τὴν τῆς παρανομίας ἐπιμιξίαν μισήσαντα *permixtionem iniquitatis odio habentem.* Gen. X. 11. dicitur Assur *egressus* esse è terra Chamitarum. Fuit Assur de familia Semi. Gen. X. 22. quare noluit impiis Chamitis permixtus esse. *Improbitas & furor impiæ generationis Ham ipsum exire coëgit, quod non potuit ferre impios cultus, & idololatriam posterorum Hami. Cessit igitur furori ipsorum, & conjunxit se cum nostris majoribus, cum posteritate Japhet, ut his aliquanto esset vicinior, & ædificarit Niniven.* Luther. f. 162. enar. Sequitur Procopium cujus hæc sunt verba: *Nomen majorum suorum tenuit, scilicet Sem & Eber, qui fuerunt de genere electo. Nec quicquam commune habuit cum gente & prosapia Chami.* Scribit comm. in l. c. confer Abulens. ad l. c. Salian. an. 1931. §. 58 Idem colligas ex Gen. XI. 2. ubi dicuntur esse profecti מקדם *ab oriente,* deserta nempe veræ Ecclesiæ communione. Vide Glass. Mosaisch. Lehr- und Gesch. Kern. p. 542. & 763. *Typus* fuit bitumen, juxta Epiphanium lib. 2. cont. hæres. Nam habet vim fugandi serpentes, i. e. hæreticos. Longius hæc petita sunt: commodior est corvus ex arca emissus. Sic enim Prosper. part. 1. depromiss. c. 7. *Corvus hæreticus exiens, humani cadaveris cupiditate naufragus, ad arcam Ecclesiam redire noluit.* Objicis. Gen. VII. 2. 3. in arcam recipiuntur animalia non tantum munda, sed etiam immunda: arca autem fuit typus Ecclesiæ. E. ad Ecclesiam spectant boni & mali: Atque hoc loco usi sunt olim orthodoxi adversus Novatianos & Donatistas. Sic enim Cyprianus: *Lex unam nobis & singularem designat Ecclesiam in illa, quæ sub Noe ante diluvium Dei providentia fabricata est arca, in qua non tantum munda animalia, sed & immunda, ut tibi cito respondeatur, Novatiane, invenimus esse reposita.* Subjicit exemplum corvi immundi, & columbæ mundæ. Sic & Hieron. cont. Lucifer. tom 3. opp. f. m. 66. August. lib. XV. C. D. c. 27. Resp. dist. inter hæreticos, & malos moraliter. Nobis sermo est de istis, Cypriano autem de his, de quibus controvertebant Novatiani & Donatistæ, quod Ecclesia, in qua scandala morum inveniantur, non sit vera. His ille contradicit, non nobis, quippe qui ipse ex Num. V. 2. allegat præceptum Dei datum Moysi, ut ejiciat omne varium & immundum. Iterum vapulant ab Augustino Donatistæ, quod ex arca concludere voluerint,

divisa à quovis alio cœtu.

Obj.

R.

rint, baptismum non salvare, nisi in Ecclesia, sicut in baptismo diluvii non salvati sunt, nisi existentes in arca. Ita plerumque in alterutrum extremum declinatur. Hinc Syncreticum, inde puritanicum, medium tenuere beati!

Sanctitas 1. Doctrinæ ut salvificæ,

§. 5. (2.) *Sanctitas, Doctrinæ*, quæ erat *salvifica*. Nam Noah agnovit & prædicavit Christum humani generis redemptorem. Gen. VIII. 21. IX. 26. 27. quæ est vita æterna. Joh. XVII. 3. Vapulavit igitur merito Marcion olim, negans Noacho salutem obtigisse, quasi alius in V. T. Deus fuerit, justus scilicet, non bonus, quam in N. T. Ebr. XI. 7. Noë fides laudatur, quâ constitutus est hæres justitiæ, quæ fidei imputatur, vitamque post se trahit æternam. Falsum igitur est commentum hæretici, quod his verbis refert Irenæus lib. I. contr. hæres. c. 29: *Abel, & Henoch, & Noe, & reliquos justos, qui sunt erga Abraham Patriarchas, cum omnibus Prophetis, & his, qui placuerunt Deo, non participasse salutem, qui in Marcione fuit serpens præconiavit.* Quæ ratio? addit: *Quoniam enim sciebant, inquit, Deum suum semper tentantem eos, & tunc tentare eum suspicati, non accurrerunt Jesum, neque crediderunt annunciationi ejus, & propterea remansisse animas eorum apud inferos dixit.* In faciem contradicit scripturæ, quæ Noam vocat *justum & perfectum*, qui gratiam in oculis Dei invenerit, qui igitur non crediderit Christo futurum diluvium revelanti? Erat & *sanctifica*. Nam, uti dictum, Noah erat justus & perfectus, Deoque gratiosus, eademque vel suo exemplo alios docebat. Præprimis Gen. IX. 1. seqq. Deus sanctissimam sequi vitam Noachidas vult, & succenset Noah filio, quod legibus divinis vim fecisset. Gen. IX. 25. *Solatiflua* denique, Nam Gen. VIII. 2. IX. 9. seqq. promittit Deus solatium in tentationibus, nempe Filium suum, & fœdus gratiose percussum. Gen. XI. 3. 4. 5. *Consolatur Spiritus Sanctus veram Ecclesiam, quæ vexatur ab Ecclesia diaboli, ne putet se à Deo negligi. Videt, inquit, dominus, quæ faciunt impii, & nunc parat se ad descensum, ut ipsi quoque videant, non latere Deum ipsorum consilia, qui securi omnes minas rident, & sentiunt potentiam suam non posse infringi, sed falluntur.* Luther. enar. in Gen. XI. Hoc solatium non semper sentitur, Deo sensum gratiæ denegante: *Grave fuit Noacho toto ferè semestri in aquis sine consolatione Dei jactari*, ut B. Luther. ex Gen. VIII. 1. colligit. Utitur

sanctificæ, solatifluæ.

Deus

Deus præter verbum etiam mediis externis, ut vento exsiccante & columba oleagerula, adversus diluvii horrorem: *Hæc sunt externa, palpabilia signa, quibus Deus consolatur ipsum Noah, quod non plane oblitus sit, sed recordetur ejus.* f.135,

Virtutum, Cultus, Charismatum, ut Prophetiæ Noachi,

§. 6. Ex doctrina sana nascuntur *virtutes*, quas §.11. articuli hujus enarravimus: Et *cultus externus*, de quo §.32. actum est. Accedunt *Charismata*, ut est *donum prophetiæ*, à quo Prophetæ *sancti* dicuntur. Luc.I.70. Illustre fuit in Noacho Gen.VI 3.seqq. Prædixit enim diluvium, Deo revelante, anno 120. priusquam fieret; quod suo Saturno tribuebant gentiles, teste Cyrillo lib.1. in Jul. Insuper quod filios devoraverit, tribus superstitibus, quod in Noachum quadrat, qui prædixit homines esse in undis perituros. Sæpe enim prophetæ dicuntur facere, quod futurum esse prædicunt, Gen.XI,25.seqq. Etsi autem suis quoque infirmitatibus laborarit, Spiritu tamen sancto confirmatus est. 2.Cor. VII,9. Et hos benedicendo, illum vero maledicendo vaticinium edidit insigne. *Non aberrabit quis, si dixerit, benedictiones justi prophetias esse.* &c. *Opinor enim, quod benedicendo hos duos, duorum populorum vocationem significare voluerit: Et per Sem quidem Judæos; ex illo enim & Abraham, & Judæorum gens multiplicata est; Per Japhet autem gentium vocationem.* Chrysost. hom.29. in Genes. Sequitur Justinum Martyrem, qui in hisce Noachi verbis laudat φροντικὸν πνεῦμα *Propheticum spiritum*, ostenditque quomodo impletum sit vaticinium. Subscribunt Hieron. t.IV. opp. quæst. in Genes. f.m.93. Theodoret. q. 58. in Genes. Ex recentioribus Lyser. Noach. p 357. Glas. Mosaisch. Gesch. Kern. p.523. Fuller. misc. sacr. lib. 2. c.4. Schotan. de 2. mundi ætat. f.47. Cujus inter alia, etiam hæc, sunt verba de illustri hoc Noachi vaticinio clarissimè adimpleto: *Tam nobile vaticinium historias & fata omnium gentium ab initio mundi ad finem, tribus verbis complexum, fulgidissimus est character divinitatis sacræ scripturæ. Monstrent, si possint, simile in omni cumulo scriptorum, ut negent ejus divinitatem, discant stupere, & admirari, desinant autem erigere cristas, & profana voce blaterare ἄθεοι, qui aulas, & aures principum obsident infelici seculo.* Neque hoc in Semo tantum, & Japheto, verum & in Chamo, cujus vel nomen prophetiam complectebatur. Sic enim dictus est à colore, quem habituri essent

 fent

sent ipsius aliquando subditi & posteri in terra Cham i.e. Ægypto, & circumjectis regionibus, nempe nigro, & quasi adusto. vide Fuller. l.c. Eber *Propheta magnus* vocatur in Seder olam, à R. Jose, citante Genebrardo Chron. A.M. 1758. Et à Muhammedanis, allegante Cl. Hotting. lib. 1. hist. orient. c. 3. p. 28. Specimen edidit in appellatione filii *Peleg*, quem sic dixit à *divisione* linguarum olim futura: *vaticinio quodam filio suo Phaleg imposuit nomen, qui interpretatur divisio: ab eo, quod in diebus ejus lingua in Babylone divisa sunt.* Scribit Hieron. quæst. in Genes. Et subscribit Chrysostomus ad Gen. X. 25. dicens, *divinitus pueri nomine prædictam esse* divisionem. Cum enim sic appellaret filium Eber, nondum erat natus Joctan frater, cujus tamen plures filii recensentur fuisse tempore dispersarum gentium: E. vaticinium præcessit exsecutionem. Occurritur autem à Saliano an. 1788. distinguente inter distributionem à Noacho intimatam, quod factum est tempore Peleg nati; Et dispersionem, quæ facta est demum tempore posteriore. Hac ratione nullum fuisset Eberi vaticinium, utpote de re præsenti. Resp. Esto, tum fuisse judicio tantum Noachi terrã divisam, potuit tamen vaticinio locus esse, si referas ad divisionis complementum, ut ipse insinuat Salianus §. 5. Augustini autem sententia frustra distinguuntur. *Quid enim aliud intelligendum est terram esse divisam, nisi diversitatem linguarum?* l. XVI. C. D. c. 10.

Eberi.

Regu.

Avi vestigiis institit nepos, *Regu*, si vera sunt, quæ de ipso scribit Philo in antiqq. Biblicis. Sic enim vaticinatum esse de Abrahamo tradit: *Ex isto* (Serug) *nascetur in quarta generatione, qui ponat habitationem super excelsa, & perfectus vocabitur, & immaculatus, & pater gentium erit, & non dissolvetur testamentum ejus, & Semen ejus in seculum multiplicabitur.* Historia scholastica in Gen. c. 35. ex Methodio refert, de quodam Noachi filio, Jonitho, quod *acceperit à Domino donum sapientiæ, & invenerit astronomicam, ad quem veniens Nemroth gigas 10. cubitorum eruditus sit ab eo & acceperit ab eo consilium, in quibus locis regnare cœpisset. Jonithus iste futuros quosdam eventus præviderit & maxime de ortu IV. regnorum, & occasu eorundem per successionem.* Sed fabulas, ut multa alia in Methodio, olet traditio hæc. Nam scriptura Jonithum, Noachi filium, ignorat, & monstrosam Nimrothi figuram, ut & vaticinia, quæ ediderit Jonithus. Redimus

dimus ad veritatem. Non insuper habenda sunt *nomina* Patriarcharum, Noah, Sem, &c. quæ singula fuerunt vaticinia, ut superius hinc inde est ostensum. *Apparitiones* divinas, inprimis Filii Dei, sensibiles fuisse non dubitat Tertullianus contr. Prax. c. 16. Nam sic de Christo scribit: *Ipse & ad humana semper colloquia descendit ab Adam usque ad Patriarchas & prophetas, in visione, in somno, in speculo, in ænigmate, ordinem suum præstruens ab initio semper:* Et paulo post refutat hæreticos, *ignorantes, à primordio omnem ordinem divinæ dispositionis per Filium decucurrisse.* Nititur sententia dictis scripturæ Joh. 1. 16. seqq. Nam Christo debemus omnia ad salutem spectantia nostram, adeoque & revelationes gratuitæ misericordiæ divinæ, quam ille nobis ἐξηγήσατο *enarravit.* His accensent *miracula* Pontificii & Muhammedani. Isti, Nam Boulduc. lib. 1. c. 20. refert nescio quod *continuum adhuc vigens ingeque miraculum*, quod hodie adhuc contingat, & contigerit olim; Nam vocat *continuum*, ergo & temporibus Noachicis; Fit autem circa *arborem olivæ crassissimam, ex qua ramos præscindere solitus sit Abel sacrificaturus, quibus struem sacrificii sui componeret, quoque de cœlo ignem susciperent.* Hinc oleum collectum accendi divinitus singulis diebus veneris, ut lychnus lumen de sese spargat. Unde hæc, Cappucine; an ipse vidisti? *non vidi, quia die quo fit, me ibi esse non contigit*: Ipse fateris. Nam quod non est, non potest videri. Unde igitur? ex æditúo loci: *Bonus quidam senex, illius loci æditus, cum juramento protestatus nobis est, quod mox sum narraturus.* Cum juramento? Fidem igitur non invenit narratio apud temetipsum, secus juramento non fuisset opus. At, qui suspectus erat, antequam juramentum præstaret, qui fidem invenit juramento? quasi superstitio non possit simplicioribus æditius, & credulis senibus ita imponere, ut jurent verum esse, quod non est. De Muhamedanis vid. l. c. Hotting.

Apparitionum.

An & miraculorum?

§. 7. De sanctitate *locorum & temporum* dictum est §. 32. præced. Finivissemus sanctitatem, nisi & ad *reliquias* respiciendum esset. An enim & reliquiæ in pretio fuerint? quæritur. Affirmāt Pontificii. Salian. an. 1656. §. 3. de Methusalemo, paulo ante diluvium defuncto, *Credibile est, inquit, reliquias ejus, tam recentes à funere, ab eodem Noemo secum, unà cum Adami ossibus asportatas in arcam esse.* Suffragatur Boulduc. de Eccles. lib. 2. c. 8. Nam ex Mose Barcepha

Locorum, Temporum: an & reliquiarum?

 tra-

traditionem oppidò lepidam narrat, nempe, Adami ossa fuisse arcæ illata, deinde inter filios distributa, *obvenisse calvariam Semo, cujus* posteri ipsam in Adami sepulchro reposuissent, &c. Fuit autem sepulchrum Jerusalem, olim Jebus dicta. Hæc illi ex Judæorum fabulis. Nam nec vola, nec vestigium in S. literis apparet; Nec apud alium idoneum auctorem occurrit fide digna de reliquiis narratio. Si quæ in pretio fuissent reliquiæ, fuisset arca, qua servati erant; Sed nec de hac mentio fit amplius, postquam Noah esset egressus.

Catholicismus. 1. Doctrinæ.

§. 8. (3.) *Catholicismus.* Est 1. *doctrinæ.* Sonuit in hac Ecclesia ea ipsa doctrina, quæ omnibus temporibus valuit, & necessaria fuit ad salutem. Talis est doctrina de fide in Christum, cujus gratia sumus gratiosi apud Deum. Actor. IV. 12. X. 43. XV. 11. Summa habetur Gen. VIII. 20. 21. IX 26. 27. Quæ, & alia, loca hactenus prolixè explicata sunt. Additis etiam gentilium testimoniis, qui & ipsi vestigia famæ de rebus sacris apud sese servarunt.

2. Locorum.

2. *Locorum.* Colligitur ex Gen. X. 5. 31. 32. ubi posteri Japhet dicuntur replevisse insulas gentium, & Semi successores distributi esse per suas familias, linguas, & regiones. *Hoc sine dubio ab ipso Patre Noah factum est, qui hunc in Asiam, illum in Græciam, alium in Italiam navigare jussit, & ibi resp. & Ecclesias instituere. Ac obedientes filii & nepotes senserunt benedictionem Domini. Itaque hæc exempla nobis proponuntur insignis obedientiæ erga parentem Noah, & diligentiæ singularis in constituendis Ecclesiis & regnis.* Luther. enar. f. 159. Nisi fabulosi essent, & spurii scriptores Berosus in Chaldaicis, Methodius in revelationibus, & hos secutus Boulduccus, referendum huc esset, quod ipsi habent, de filiis & posteris Noachi in orbem terrarum dimissis, Arphaxade cumprimis; Nam trans Tigrim dicitur migrasse cum suis, & Chaldæam occupasse; Confer Torniel. an. m. 1754.

3. Temporum.

(3.) *Temporum.* Continuatur Genealogia Semi usque ad Abrahamum. Gen. XI. 10. seqq. nec dubium est, quin diu saltem in familia ista manserit vera religio, donec tandem obscuraretur, ut restauranda esset. vide Walth. Offic. bibl. p. 741. §. 702 n. 2. *Post diluvium, cum subito impia Ham posteritas crevisset, & omnia impleret scandalis, Noa cum filio Sem, & nepotibus gubernavit Ecclesiam, ut appareat, articulum fidei nostræ esse verum, quod credimus*

dimus unam, sanctam, & Catholicam Ecclesiam, omnibus seculis à principio mundi, usque in finem mundi. Semper enim reservavit Deus sibi populum, qui retineret verbum, & in mundo tanquam custos esset religionis, & sana doctrinæ, ne omnia degenerarent in impietatem, & notitia Dei nulla esset inter homines: verba sunt B. Luth. enar. f.170. Sequitur veteres. Eucher. in Gen. XI. lib.2. c.7. *Benedictu, inquit, duobus filiis Noe, atque uno in medio eorum maledicto, deinceps usq; ad Abraham de justorum aliquorum, qui pie Deum colerent, commemoratione silentium est. Nec eos defuisse crediderim, sed, si omnes commemorarentur, nimis longum fieret, & hæc esset historica magis diligentia, quam prophetica diligentia.* Descripsit ex August. C. D. lib. XVI. c.2. Pergit c.8. *Quapropter, etsi non evidenter expressum est, fuisse aliquod pium genus hominum, quando ab impiis Babylonia condebatur, non ad hoc valuit hæc obscuritas, ut quærentis fraudaretur, sed potius exerceretur intentio.* Fatetur igitur Ecclesiam quidem fuisse obscuratam, extinctam autem negat. *Sicut per aquarum diluvium una domus Noe remanserat ad reparandum genus humanum, sic in diluvio multarum superstitionum per universum mundum una remanserat domus Thare, in qua custodita est plantatio domus Dei.* c.9. idem scribit. Fallitur tamen, cum domum Thare incorruptam mansisse putat. Nam & hæc Idololatriæ succubuit, ut alibi docetur. Rupert. ad Gen. IX. 1. ita scribit: *Trina verborum eorundem repetitio magna est propositi Dei confirmatio, quod proposuerit in verbo suo, sciens, & præsciens, atque prædestinatos habens omnes sanctos, atque electos suos, quos nasci volebat sibi de genere humano, quantu meritis crescere, quanto numero multiplicari haberent, ex tunc, usque in finem seculi.* Semper igitur est aliqua Ecclesia. Alii Ecclesiam quærunt Genes. X. 25. XI. 16. ubi habetur mentio Eberi, unde gens Hebræa, idiomate Hebræo usa. *Et hoc justitiæ gentis hujus non parvum apparuit vestigium, quod, cum aliæ gentes plecterentur mutatione linguarum, ad istam non pervenit tale supplicium.* Suffragatur Cedrenus comp. hist. f.9. *Ajunt, solum Heberum, Phalegi patrem, in substructionem turris non consensisse,* διὸ καὶ τῆς τῶν ἄλλων φωνῆς συγχυθείσης, ἡ τοῦ Ἔβερ οὐκ ἀπώλετο, *itaque etiam reliquorum linguis confusis, Eberi sermo integer permansit.* Confer Gesner. disp. X. in Gen. q.11. Adde Gen. IX. 28. ubi habetur de Noacho, post diluvium 350. annos superstite; vixit igitur cum Abrahamo annos 58.

Tamdiu itaque vivere eum Deus permisit, dum surgeret alius, qui homines tum verbo & oratione, tum exemplo ad Deum duceret. Scribit B. Marbach. ad Gen. IX. Huc referri potest Assur, qui diu inter Chamitas versabatur, ipsos, ut videtur, conversurus, donec re desperata abiret, & in Assyriam concederet. Gen. X. 11. Vide Glass. Mosaisch. Lehr Kern. p. 764.

6. *Adjuncta* 1. Bona. §. 9. *Adjuncta* Ecclesiæ accidentalia sunt vel Bona, vel Mala. *Bona*, ut admiranda gubernatio, & conservatio in tot turbis; benedictio cum corporalis, tum spiritualis, de quibus hactenus, præsertim art. VII. sect. 1. §. 11. & 13. inter attributa, & opera Dei actum est. Huc spectat, quod Assur, Semi filius, adeoque veræ Ecclesiæ membrum, exstruxerit civitates Niniven, Rehoboth, Ir, & Calanem, dubio procul adversus Chamitas, & Nimrodianos tyrannos, & persecutores. *Quamvis enim Deus sit, qui nos defendit, non tamen otiosi & inertes esse debemus, sed uti mediis legitimis, cum invocatione nominis divini. Vult enim Deus nos non inertes, sed laborantes, & ipsi confidentes adjuvare.* Marbach. h. l.

2. *Mala* (1) Culpæ in doctrina. §. 10. *Mala* sunt (1.) *Culpæ*, ut sunt scandala. 1. *Doctrinæ.* Gen. IX. 22. Ham ridet Patris sui nuditatem, eoque risu maledictionem in sese & filium derivat. Non igitur fuit puerilis risus, sed Sardonius, ex infidelitate profectus. Dubio procul Noah sæpe de benedicto semine, ex suis lumbis proditurо, concionatus est. Hoc vero Cham nolebat credere, sed tacitè ridebat, donec occasione oblata animi sensa explicaret, nempe, sese non credere Messiam ex hisce αἰδοίοις tam turpiter prostitutis venturum esse. *Peccatum Cham fuit non tantum contemtus Patris, contra quartum præceptum, nec tantum diffamatio apud ejus fratres, contra octavum præceptum; sed & contemptus Filii Dei, qui ex lumbis parentis ipsius erat oriundus, adeoque peccatum in Spiritum sanctum, quia ridet Evangelion de Christo, nec correptionem ministerii vult admittere, contra primam tabulam.* Verba sunt B. Lyser. p. 354. 355. Et pag. 345. *Abutitur hac infirmitate patris ad contemnendum ipsum venturum Messiam & Semen Mulieris. Nam hactenus audiverat multas conciones de Filio Dei, qui Semen Mulieris esset futurus, Hunc Noachus testificatus est fuisse eum, qui ipsi medium evitandi interitum in diluvio monstraverit, qui ipsum arca incluserit, & in ea servarit. Hunc ipsum quoque ex suis lumbis, & posteri-*

tate-

tate humanam carnem induiturum, ut peccatum, & mortem destrueret, vitam autem & incorruptionem restitueret. Hunc itaque invocandum, & colendum, de hoc unico prædicandum, eumque celebrandum esse. Hæc quidem audivit cum cæteris Chamus, quia à concionibus ipsi abesse non licuit: quia tamen erat Hypocrita & Epicuræus, in corde suo ista omnia ceu vana risit, nec dubium, ipsum sæpe numero hac ipsa de re contra fratres disputasse, & stultam ipsorum credulitatem irrisisse, quod tam facile patri ista fabulanti crederent, &c. Maturè igitur post diluvium hostis Zizania falsæ doctrinæ adversus religionis & salutis ἀκρόπολιν, articulum de Christo, disseminavit inter eos, qui veræ Ecclesiæ videbantur addicti. Nec mansit malum in familia Chami, sed irrepsit etiam in domum Semi. Ex Semi stirpe prodierunt Serug, Nahor, Thara, Abraham, hos vero in idololatriam tandem lapsos esse, ex Josu. XXIV. 2. discimus. *Josue auctor est, ipsum Thare, Nabor, & Abrahamum hanc Idololatriam secutos esse, & probasse.* Luther. ad Gen. XI. f. 3. tom. 2. enar. Intelligit πυρολατρείαν. *Videtur autem huic cultui occasionem dedisse, quod Deus significationem gratiæ Patribus per lucem, seu ignem cœlitus demissum, edidit, qui oblatas hostias hauriebat. Hoc enim signum erat, delectari Deum hoc cultu, sicut Eliæ historia ostendit. Ac in lege sacrum ignem perpetuo ali præcepit Deus. Lev. VI. ex quo cremarentur hostiæ. Sunt hunc cultum imitatæ gentes, sicut historia ostendunt.* Verba sunt Lutheri. l. c. Hanc κακοζηλίαν imitati sunt etiam veræ Ecclesiæ cives. *Nam Babylonica religio Nimrodi fuit speciosissima. Siquidem Deum coluerunt sub titulo lucis, quæ optima forma, seu figura divinæ majestatis est; & ipsæ sacræ literæ Deum lucem appellant. Ad hunc cultum, qui pulcherrimam speciem habuit, accessit etiam vita & mores probati. Itaque amplexi hanc religionem sunt etiam sanctorum posteri.* Habemus igitur Zizania in Ecclesiam Dei illata, falsam doctrinam de Deo, sub imagine lucis culto, ut ipsos Semitas, & summos in Ecclesia Pontifices corripuit. Gen. XXXI. 53. laudatur *Deus τοῦ Nabor* à Labane idololatra, distinctus à Deo Jacobi vero. Quis igitur ille Nahoris Deus? ignem putamus fuisse, sub cujus Symbolo Deum coluit Nahor Abrahami avus. Solem repræsentasse ignem vul[illegible]. Maim. in More Neboch. l. 3. c. 30. & Pseudo-Berosus narrat Noachum in sole consecratum, & Tyteam, seu Estam puellas *docuisse sempiternum ignem sacroru[illegible] inextinctum*

ctum servare. lib.3. rer. Chald. vide Selden. Proleg. Syntag. c.3. & ex nostris Chemnit. part.IV. Exam. p. 32. Ex vetustioribus Hieron. quæst. in Genes. Procopium, Bedam, in Gen. Glyc. annal. part. 2. Constant. Manas. hist. p.14.15.

Usus. 1. de successione. §. 11. Discimus hinc (1.) *Successionem doctrinæ non necessario alligatam esse successioni locali, seu personali.* Nam antecessores Serugi, Nahoris, Tharæ, Abrahami erant orthodoxi, ut Noah, Sem, Arphaxad &c. Nihilominus successores in falsam doctrinam & religionem degenerarunt, ut fatetur Salianus Jesuita an.m. 1850. §.2. & 2052. §.6. Convictus auctoritate Josuæ.XXIV.2 Judith.V.6. Epiphanii in princip. Panarii, & Ancorato, quos ipse allegat. 2. de deficibilitate Ecclesiæ. (2.) *Ecclesiam visibilem posse deficere.* Sic enim Augustinus scribit: *Post diluvium procurrentis sanctæ vestigia civitatis utrum continuata sint, an intercurrentibus impietatis interrupta temporibus, ita ut nullus hominum veri unius Dei cultor existeret, ad liquidum scripturis loquentibus invenire difficile est,* lib.XVI. C.D. c.1. Imo *nascente mox Abrahamo, ea pestis totam ubique terram polluit, atque deploranda insania funestavit.* fatetur Salianus Jesuita an.1996. §.6. f.192. Quæ opponenda sunt temeritati Boulducci Cappucini, qui lib 2. de Eccles. c.4. contendit, Chamitas religiosissimos fuisse homines, *sub mundi reparatoris sanctissimique Patriarchæ Noe disciplina diu in Armenia educatos, virtutis ac pietatis laude in illa regione claruisse.* Sic enim non fuisset difficile vestigia civitatis Dei invenire in S. literis, quas Cappucinus adducit pro sua sententia, sed falsa, probanda. Item iniquæ Pontificiorum postulationi, qua petunt sibi ostendi ex historiis locum, tempus, circumstantias, nomen, &c. Ecclesiæ Lutheranæ ante Lutherum. Cum nec Augustinus l.c. continuationem Ecclesiæ orthodoxæ possit ostendere, *propterea, quia in canonicis libris post Noe, qui cum conjuge ac tribus filiis, totidemque nuribus suis meruit per arcam à vastatione diluvii liberari, non invenimus usque ad Abraham cujusquam pietatem evidenti divino eloquio prædicatam.* Eadem ferè sententia est Eucherii, qui fatetur, Diis alienis serviisse, etiam populum Dei: Verba sunt: *Una domus Thare erat, de quo natus est Abraham, in qua unius veri Dei cultus, & quantum credibile est, in qua jam sola etiam Hebræa lingua remanserat, quamvis & ipsi, sicut jam manifestius Dei populus in Ægypto, in Mesopotamia serviisse Diis alienis, Jesu*

Nave

Nave narrante, referuntur, ex progenie illius Heber in linguas paulatim alias, & in alias nationes defluentibus. Hæc ille lib. 2. in Gen. XI. c. 9. Defecit igitur & Thare domus, in qua tamen sola remanserat verus Dei cultus. E. ipsa Ecclesia visibilis defecit. Atque in hanc sententiam loquitur etiam author libr. IV. Esdr. c. 3. v. 11. 12. Lutherus noster utilem admonitionem hinc elicit: *Moniti hoc exemplo, meritò exuimus securitatem. & ambulamus in timore Dei, postquam non solum laterales Patres in errorem & idololatriam inductos videmus; sed etiam ipsam stirpem Ecclesiæ Thare & Abraham.* t. 2. enar. f. 2.

§. 12. Ex dictis elucent scandala (2.) *Cultus publici.* Neque enim contenti erant docuisse Deum esse igne colendum, sed revera etiam coluerunt sub isto symbolo. Hunc enim foverunt, *ut symbolum præsentiæ divinæ, & in illo igne, in, seu apud, & ante illum ignem verum & vivum Deum colere, & adorare instituerunt. Sed quia sine verbo, mandato, & promissione Dei, ex privatis ratiocinationibus instituerunt, coram pronunciat ipsos coluisse Deos alienos.* Verba sunt Chemnitii l.c. § 42. Locus, ubi coluerunt, dicebatur Ur Chasdim: Gen. XI. 31. *Ego in ea sententia sum, ut existimem, loci nomen esse, cui tamen, sicut solet, appellatio hæc ab idololatrico cultu contigit, qui ibi præcipuè viguit.* Luther. f. 3. enar. t. 2. Nec de nihilo est ejusdem conjectura de voce כשדים pro חסידים. *Ego in ea sententia sum, quod ob novum cultum Ur vocata sit Ur Chasidim q. d. sanctorum civitatem. Sicut Romam appellarunt principem Ecclesiam, & caput reliquarum Ecclesiarum omnium. Sed Moses invertit appellationem. q. d. Non estis Chasidim, sed Casdim, non sancti, sed Chaldæi. Nam Prophetæ delectantur talibus. Sicut Micheas Schanam vocat Zanam, & Oseas Bethel vocat Bethaven.* Hæc ille. Multa hic congerunt ex vetustioribus scriptoribus de modo cultus. Referunt enim de statuis à Thara statuario fabrefactis, & cultui destinatis; de πυραίῳ, quod ejusdem fuerit, sed incensum ab Abrahamo conflagrarit, frustra prohibente Harano. De quibus & similibus narrationibus placet nobis judicium Seldeni Syntag. p. 43. *Frequens & obvia est ea de re apud veteres historia. Sed vereor, ut suam satis liberent fidem, qui tam constanter de rebus tam priscis sententiam proferunt.* Si quid conjecturis dandum, illustrari ignis cultus posset ex ritu Persarum, qui- in cultu publico.

Y bus

bus ille ipse ignis sacer est & mansit. *Nam Rex Persicus sacrum ignem, quem historia Orimasda corrupto vocabulo Hebræo vocant, in vacuo equo ante se solenniter vehi voluit.* Juxta Lutherum. Vide Seld. de Diis Syr. Syntag. II. c. 8.

in *Moribus* contra *tabulam priorem* ut Apostasiæ: Hami, Serug, Thare, Nahor, Abraham,

§. 13. Scandala (3.) *Morum* in tabulam cum primam, tum secundam impingebant. *Primam*, ut *apostasia* & idololatria: ubi agmen ducebat Cham; *Fit enim diabolus, etiam post tanta portenta, contemptis tantis patribus, & fratribus*, juxta Luther. t. 4. Jenens. *Fit*, inquit, *diabolus*: E. olim pius fuit. Nam *dubium non est Chamum ante diluvium fuisse pium, & credentem. Alias enim, in diluvio etiam ipse periisset.* 1. Pet. III. 20. Lyser. p. 346. De Serug, Nahor, Thara, Abrahamo jam dictum est. Contrariam sententiam defendit Salianus Jesuita an. 2052. §. 3. post aliquot alios, quos l. c. allegat. *Ratio*, quia Sem, Japhet, Arphaxad, Cainan, Heber, sanctissimi viri erant, divinitus meliora edocti, & docentes alios. Ad Jos. 24. 2. excipit, Serugum quidem, & Tharam, & eorum fratres Idololatras esse factos, non autem Abrahamum. Resp. Ratio data per exceptionem evertitur. Nam & Serug & Nahor cum sanctissimis illis Patribus vixerant, & tamen Idololatriæ, fatente Saliano ipso, sese tradiderunt. Deinde Josua loquitur de patribus Judæorum, & dicit fuisse Idololatras; v. 2. Eodemque nomine appellat etiam Abrahamum, nempe patrem Judæorum. v. 3. annumerat E. Patribus Idololatris. Nec spernenda est conjectura Lutheri nostri, ad Gen. XII. 1. Observat enim defectum elogii in Abrahamo, quali Noachum Gen. VI. 9. Deus exornabat, historiam viri descripturus: *Tali titulo hoc in loco non ornatur Abraham, sine dubio ideo, quia Abraham cum Patre & fratribus, sicut Josua testatur, fuit idololatra.* Proinde post veteres Philonem, Clementem, Ephremum &c. nobis suffragantur ex Pontificiis ipsis Masius, Genebrardus, Magalianus, Serarius, Torniellus; Mendoza in dubio relinquit, non facturus id, nisi evidentia verbi divini assensum extorsisset. Inter hos Apostatas spectat etiam *Nimrodus*, vel ipso nomine teste. *Nomen fatale est. Nimrod enim dicitur à* מרד, *quod significat apostatare, & rebellare. Sive quod invaserit bello fratres, & maximè piorum familias, ut amplificaret suos fines; sive quod natio hæc tum cœperit desciscere à filiis Sem, & religione eorum.* Luther. in Gen. X. In-

Babyloniorum.

X. Insignis apostasia fuit discessus filiorum hominis מקדם *ab oriente*, nempe loco, ubi quieverat arca Noachica, & vera Ecclesia erat. Genes. XI. 2. vide Hieron. in cap. 66. Jesai. *Dubium non est, Noachum Semo hanc partem terræ Sennaar, tanquam fertilissimam, attribuisse, ut esset sedes Ecclesiæ, unde commodissimè coloniæ deduci possent in omnes terras: Sed Nimrod, qui fuit hostis Ecclesiæ, cum videret locum hunc esse optimum, occasionem inde sumpsit, primum hanc munitionem extruendi, & postea eos expellendi.* Lyser. Noach. p.412. post Lutherum, cujus hoc est judicium: *Hoc peccatum est horribilis lapsus ab Ecclesia, à verbo, & ab ipsis angelis Dei ad diabolum.* f. 165. paulo post Nimrodum vocat *apostatam*; *& Hamum cum sua posteritate ab Ecclesia discessisse* scribit. Omnium clarissimè his verbis mentem suam & nostram expressit: *Apostasia peccatum hoc in loco Moses ostendit, quod posteri Ham, Nimrod, & alii, defecerunt à Deo, & verbo, à Patribus, & Ecclesia, non tantum quod ad politicam societatem attinet, sed magis, quod attinet ad religionem, & cultus.* Terra, ubi desciverunt, dicta est Sennaar, ab excussione, scilicet veræ religionis, ut censet Glas. Mosaisch. Gesch. Kern. p.542.543. Non miremur igitur hodie apostasias etiam à magnis viris fieri, ubi sentina est omnium malorum; si in primitiva illa Ecclesia: *Semo cum Noe patre ac Patriarcha sanctissimo adhuc vivente; Japheto, antiquitate ac pietate in Deum, & parentem suppare; utroque paterna benedictione sanctificato; Arphaxade, Cainane, Hebero, atque aliis adhuc viventibus, qui* vel in *diluvio divina judicia ac majestatem* ipsi viderunt, vel ex *αὐτόπταις* audiverunt. Salian. an. 2052. §. 5. Si, inquam, horum temporibus tantæ & tot apostasiæ fuerunt. Desinant Pontificii jactare amplitudinem Ecclesiæ notam veræ; si error non Chamitas tantum, sed & Japhetitas, imo & Semitas, i.e. omnes homines implicuerat. Gen.XI.4. Excitant civitatem, & turrim. *Suscipiunt itaque structuram hanc ex fiducia humanorum præsidiorum. Sic impii non in Deo, quem non colunt & observant, spem & fiduciam collocant, sed suis confidunt viribus.* Marbach. l. c. *Profanatio* nominis divini ultro hinc sequitur. Invocarunt enim non Deum verum, sed fictitium, quem sub igne colebant, suis inanibus *διαλογισμοῖς* decepti; non autem verbo Dei, agendorum norma, edocti. *In filiis duorum illorum* (Semi & Japheti) *jam tunc, antequam*

Profanatio nominis divini.

quam Babylonia cœpisset institui, fuerunt contemptores Dei: scribit August. C. D. lib. XVI. c. 10. Et ulterius patet ex Gen. XI. 4. ubi suam; non Dei gloriam quærunt ambitiosi homines. Vide Marbach. ad l.c. Adde, quod Arnobius tradit, inter Ninum & Bactrianos *non tantum ferro dimicatum esse, & viribus, verum etiam Magicis, & Chaldaeorum reconditis disciplinis.* Quæ immanis est nominis divini profanatio.

Contra Tabulam II. peccata (1.) contra parentes & superiores & Parentum in filios.

§. 15. In *secundam* tabulam impingebant (1.) *Scandala parentum* liberis data; & vicissim liberorum irreverentia erga parentes & superiores. Gen. IX. 21. habetur de ebrietate Noachi, & hac subsecuta nuditate. Traditio est, à Josepho lib. 1. antiqq. c. 7. & Philone lib. de plantat. Noë, annotata, quod Noachus pro felici proventu vini Deo sacrificium eucharisticum obtulerit, & isto oblato epulas sacras celebrarit, in quibus largius hausto mero ita inebriatus sit, ut nudus prosterneretur. Cyprianus epist. 63. ad Cæcilium, adversus Aquarios, S. Cœnæ corruptores, disputans, §. 2. contendit, bibitionem vini à Noacho factam, fuisse *sacramentum, & figuram Dominicæ passionis*, adeoque non omnino vulgare epulum. Peccavit igitur Noah, etiam Sacerdos, in suo officio constitutus, in quo ab ejusmodi & aliis vitiis dubio procul filios. Chamum cumprimis, sæpe dehortatus est, certe dehortari debuisset; Jam vero ipse sese tam turpiter dat in moribus suis, ut ipsum illius officium, doctrina, & religio in discrimen adducantur. Hinc enim impius Cham ansam arripuit, non solum parentis personam traducendi apud fratres, & alios in trivio versantes, sed etiam officium, & doctrinam de Messia, ex suis lumbis prodituro. Emanavit aliquid hujus scandali etiam ad gentiles. Nam fabulantur de quodam Saturno, cujus in festo, Saturnalia dicunt, licebat impune crapulari, quod ipse olim sic fecisset; deque Baccho, vini inventore, & potatore, adeoque & propinatore, siquidem poculis largius haustis temulentum colebant; Fuit igitur Noah hic quoque peccandi occasio. In alterum extremum declinarunt hæretici, Aquarii, Severiani, Encratitæ, Manichæi, abhorrentes ideo à vino, tanquam felle draconis, vel certè materia peccandi. Vide August. de hæres. c. 24. 25. 46. Chemnit. part. IV. exam. p. 216. Excusare factum, & extenuare nonnulli conantur, ut, quod primum vinum, fortius

tius opinione, biberit, tristitiaq; affectus, citius sit inebriatus &c. Vide Chrysost. hom 29. & Perer. l. c. in Genes. Mahummedani, referente Cl. Hotting lib. 1. hist. orient. c. 3. fabulam addunt: *Dormivit*, inquit Kessæus quidam, *Noah in gremio filii sui Semi; vento autem violenter spirante, pudenda Noachi deteguntur, quibus visis in immodestum risum Chamus erupit.* Culpa igitur fuit non penes Noam, sed ventum, Noe proditorem. Sed hæc omnia excusant factum in tantum, non autem in totum. Scandalum fuit, etiam datum, etsi non tam datum, quam acceptum. Bene Philo Judæus in libello de plantatione Noë, & temulentia ejusdem disputat, aliud quidem esse οἰνῶσθαι, & *ληρεῖν ἐν οἴνῳ inebriari, & vino delirare*; subjungit tamen *ἀποστρέφοιτο ὁ σπουδαῖος ab utroq; abstineat vir honestus.* Clemens Alex. lib. 2. pæd. vocat *παροινίαν ἀναγέγραπτον ebrietatem descriptam ideo, ut vitemus.* Peccaverit igitur Rex, Sacerdos, paterfamilias Noah; nihilominus gravius peccavit filius, auditor, subditus Cham cum Canaane, patrem & avum ridentes. *Contumeliosus Patri fuit, oblitus est honoris, quem debent parentibus filii; prodidit peccata, fratres voluit allicere, & socios facere suæ contumeliæ.* Chrysost. hom. 29. in Gen. IX. Nec patri tantum insultavit, sed etiam animæ Curatori, & Magistratui; *Cum alias Noachus diligenter fecisset officium, tanquam præco & Magistratus, jam autem ex infirmitate labitur, Chamus hinc sumit caussam, contemnendi doctrinam, ut non amplius curet admonitiones, & ipsum officium aspernetur propter personam, contra tertium præceptum.* Lyser. Noah. p. 344. Neque ipse solum Cham peccavit, sed filium quoque suum, Canaanem, in societatem sceleris adsciscit, eoque ipso maledictionem non sibi tantum, sed etiam filio attraxit, quæ gravissima erant scandala. Structores quoque turris Babylonicæ hoc peccato sese polluerunt. Dubium enim non est, quin Noah, adhuc superstes, & alii sancti Patriarchæ suis sive posteris, sive cognatis dissuaserint machinam, sed irrito eventu.

§. 16. Addunt scandalum *libidinis*. Quærit enim Albinus in Gen. IX. *Cur nudatio femorum post ebrietatem secuta est?* R. *Quia sæpe satietatem libido subsequitur.* Confer Hieron. t. 3. opp. epist. ad Oceanum. Refert etiam Josephus lib. 1. antiq. Judaic. c. 7. de quadam Nachoris concubina, Ruma dicta, quod filios ex ea susceperit, quod ipsum sine scandalo fieri non potuit. *Ut adeo hoc* 2. libidines.

non fuerit istud seculum, in quo nullo ferente legem, natura ipsa vivebatur, ut scribit Phœnix Damascenus apud Archilochum, allegante Annio Viterbiensi. Nomina Patriarcharum, exposita à B. Walthero in offic. Bibl. p. 743. aliud sonant, nempe, *quod malitia seculi istius fuerit perplexa, & arborum instar arefactæ virtutes, justitia, & pietas.*

& alia.

Remedia 1. Genuina ut excommunicatio.

§. 17. *Remedia* adversus grassantia hæc, sive doctrinæ, sive cultus publici, sive morum, scandala, alia sunt genuina & certa; alia incerta, vel certè inepta. *Genuinum* est gladius spiritus, quo usus est Noah adversus impium, & profanum apostatam, Cham. Nam Gen. IX, 25. legitur maledictionis fulmine percussisse ἐμπαίκτην, ut dignas scelere pœnas persolveret, & alii deterrerentur. Contra autem benedictione cumulat Semum & Japhetum, filios morigeros, ut ipsorum exemplo alii quoque ad similem pietatem incitarentur. *Aliud remedium* est separatio, & egressus ex Ecclesia malignantium, ut Assur fecit, cum nihil proficeret dehortando. Gen. X. 11. *Sic nos, Dei gratia, sumus sancti apostatæ; Defecimus enim ab Antichristo, & Satanæ Ecclesia, & conjunximus nos cum filio Dei, & vera Ecclesia, cum hac nos stare, & falsam Ecclesiam oppugnare decet.* Juxta B. Luther. ad Gen. XI. Forsan & *Eber* ab isto transitu nomen accepit, cum pater videret grassantem inter homines malitiam. *Incertum* est saltem, quod de Abrahamo refert Suidas ex Philone: Abrahamum natum annos 14, Dei cognitione illustratum, Patrem idola fingentem his verbis commonuisse: *Quid seducis homines ob perniciosum lucrum, h. e. ob imagines?* (erat enim statuarius Thara) *Non est alius Deus, nisi cœlestis ille totius mundi opifex. Itaque cum videret homines creaturæ cultum deferentes magno labore oberrans, verum Deum animo religioso exquirebat.* Certè, fatente Saliano an. 2052. §. 1. Epiphanius reclamat, docens, idololatriæ Abrahamum fuisse addictum. Unde & suspectum redditur, quod Cedrenus ex priscorum scriptis narrat, quod Abraham jam sexagenarius, cum frustra patrem Tharam dehortatus esset à cultu idolorum, tandem ejus lararium incendio devoverit, quo ipso Aran, frater Abrahami, cũ simulachra ex igne rapere vellet, conflagrarit. Haustæ sunt fabulæ ex Judæorum putidis lacunis. Vide Selden. Syntag. de Diis. proleg. c. 3. Probabilius remedium est, quod Chrysost. hom. 27. & Procop. Gaz. ad Gen. VIII. 20. Theo-

& fuga.

2. Incerta.

20. Theodoret. quæst. 55. in Genes. tractant, nempe mactatio bestiarum, eo fine facta, *ut glifcenti idololatriæ & sacrilegæ impietati obviam procederetur, sperans sic fore, ut illa despectui habeamus, nec divinos ipsis deferamus honores*, ut Eucherii verba sonant.

§. 18. II. *Pœna.* Sunt *persecutiones* perpetuum Ecclesiæ, adeoque & Noachicæ, adjunctum. Cœpit à Chamo, qui parentem, veræ Ecclesiæ antistitem, & membrum sarcasticè risit. *Hoc enim factum Cham non est transferendum ad aliquem puerilem lusum, sed acerbissimum odium Satanæ, quo inflammat sua membra contra veram Ecclesiam, & præcipuè contra eos, qui sunt in ministerio, ut intenti in omnes occasiones observent, si quid in calumniam potest rapi.* Censente B.Luther. f. 152. in Gen. Peccata equidem, à quocunque denique fuerint commissa, sunt detestanda; Sed is est genius hostium Ecclesiæ, ut peccatis insultent, non ex amore virtutis, sed ex odio personarum, quæ perpetrant, eoq; fine exagitent, ut in suspicionem & calumniam rapiant veritatem, cui sunt infesti, & Ecclesiam, quam persequuntur. Imo delectantur peccatis, quod illis, velut instrumentis, utantur adversus Ecclesiam orthodoxam, quam oppugnant. *Nimrodus* alter est persecutione piorum insignis. Venator equidē dicitur, juxta quosdam, à feris, quas persequebatur, adjunctis sibi robustissimis quibusvis juvenibus, quorum opera deinceps in bello uteretur. Vide Cedren. histor. f. 9. Hamer. in Gen. f. 74. Gerh. Loc. de Mag. §. 21. comm. in Gen. IX. p. 256. Ulterius tamen progressus est, nempe ad homines quoque, eosque pios, persequendos. *Quid enim hic significatur hoc nomine, quod est venator? animarum terrigenarum deceptor, oppressor, extractor. Et judicio dictus est robustus venator contra Dominum, pro eo, quod homines abstrahebat à cultu divino.* Eucher. lib. 2. in Gen. X. 4. Fuit igitur hic falsæ religioni addictus Nimrodus, & hac impellente odio prosequebatur veram Ecclesiam. *Verum enim verbum est, quod omnis apostata sit persecutor sui ordinis. Nam quia Ham cum sua posteritate ab Ecclesia discessit, hoc egit postea, ut Ecclesiam premeret, & se ac suos eveheret. Sic Satan postquam discessit à Deo, & Angelis, seu cœlesti Ecclesia, Deum & Ecclesiam immani odio prosequitur. Et, ut hoc cum successu aliquo posset facere, se transformat in Angelum lucis, & sibi divinitatem sumit. Ita hic in medio Babylonis se quasi Deum facit, & sibi Ecclesiam parit ad veram*

(2.) *Pœna* ut Persecutiones à Chamo,

& Nimrodo

Excitatæ.

Sub specie sanctitatis.

ram Ecclesiam opprimendam. Verba sunt Lutheri f. 165. Ex quibus apparet genius falsæ doctrinæ, mendacium, & cædes, utrumque tamen hypocrisi obvelatum. Zelum præ sese ferunt gloriæ divinæ, ut Nimrodus, qui coram Domino erat venator, volebat videri quærere se Dei honorem, & propagationem veræ Ecclesiæ adversus Semitas, sibi non [illegible]; Et quia hi nolebant cedere, arma corripuit, ipsos invasit, vastavit, & persecutus est. *Hic igitur primus sive Turca, sive Papa fuit in terra post diluvium. Fuit enim manus ejus contra omnes tum Ecclesias, tum politias, donec per tyrannidem sibi paravit imperium, quod tamen non ad ipsum, sed ad Sem pertinebat, sicut etiam sacerdotium. Sed filium diaboli oportuit patri similem esse. Satana enim homicida est.* Luther. f 160. 161. enar. Addunt Gen. X. 10. *Nam hinc colligitur, progeniem Chami maledicti irruisse in possessiones alienas, quæ assignatæ erant Sem à Noacho, & ibi regnasse,*

Incerta & fabulosa.

Eucher ad l. c. Glyc. an. part. 2. hist. Scholast. in Gen. XI. c. 36. Incerta sunt, quæ de persecutione adversus Abrahamum in ignem ob denegatam idololatriam conjectum fabulantur; Item de duobus istis viris, qui noluerunt, perinde ut reliqui, lapides nomina sua inscriptos, conferre ad exstruendam turrim; Nam hujus gratia igni dicuntur adjudicati; juxta Philonem in biblicis antiquitatibus. Gentiles videntur hac quoque de re nonnihil audivisse. Nam fingunt, Jovem insurrexisse adversus patrem Saturnum, eumque castratum regno expulisse. Alludit certe nomen נמרוד ad rebellionem aliquam, à quocunque denique perpetratam. Vide Bochart. lib. IV. Phaleg. c. 1.

Remedia.

Remedium adversus hæc mala est solatium ex auxilio & ultione divina: *Scientes prærogativam nostræ ultionis apud Deum manere, neque in alios committamus, quod divino judicio vindicandum sit, neque mortem ipsi vehementer pertimescamus, cum sciamus, necati hominis innocentis apud Deum nullum esse contemptum.* Ambros de arc c. 26. Nec improbata sunt etiam politica remedia, ut exstructiones munitionum & urbium. Nam Assur eo fine videtur quatuor urbes condidisse. Gen. X. v. 11. confer §. 9.

Typus.

Typus persecutionum ejusmodi est diluvium; sic enim Cyprianus ad Novatianum: *Cataclysmus ille, qui sub Noë factus est, figuram persecutionis, quæ per totum orbem nunc nuper superessusa est, ostendit. Aquis autem, diruptis cataractis, undique convenientibus, & excrescentibus*

bus significabantur gentes, quæ ad vastandam Ecclesiam excreverunt; Sicut autem Deus in diluvio servavit suam Ecclesiam, ita novit hodie adhuc in mediis tempestatibus eandem servare. *Typus* autem, imò & *exemplum*, licet extraordinarium, est denigratio Chami, juxta Muhammedanos. Nam ex Kessæo Cl. Hotting. hist. orient. lib. 1. c. 3. p. 25. refert hæc verba: *Gravissima Noachus in Chamum exarsit ira, eique dixit; Itane rideas pudenda patris tui? Mutet Deus formam tuam, & nigrescat facies tua. Dicuntque dicto citius Chami faciem tetra nigredine mulctatam.* Hæc ille. Confer Bochart. lib. IV. Phaleg. c. 1. Sunt tamen, qui Chus primum faciant æthiopem, ut Torniel. an. 1931. §. 27. refutatus à Saliano Jesuita. an. 1931. §. 4. 2.



Articulus I.

ECCLESIA FALSA, HÆRETICA.

Argumentum.

Proœmium: Nomen sectariorum: Filii hominum: Civitas terrena: Caussa, diabolus, Cham, Nimrod, sacerdotes; Media alia molliora, ut falsatum verbum & sacramenta, alia severiora, ut calumnia, violentia: an & miracula? Fides seu religio, Ejus nomen ex Epiphanio; articuli de Deo ejusque attributis & operibus, Ecclesia, & virtutibus ac speciem decoris: Revera idololatrica cum in objecto, tum in cultu: & erronea de Dei attributis, de Christo, de operum meritis. Nec una, nec sancta, nec Catholica; parallela notis Pontificiis. Locus Babel, urbis, & turris describuntur à nomine, caussis, & adjunctis, loco & tempore. Consequentibus.

§. I.

ABsolvimus hactenus Ecclesiam veram, & in scandalis doctrinæ & cultus publici tetigimus quædam, quæ ad falsam quoque spectant Ecclesiam, nec tamen absolvimus, quarè accuratius aliquanto, & enucleatius de hac quoque verba faciamus. Proœmium.

§. 2. *Nomen* hominum ad Ecclesiam falsam spectantium est: Filii hominum. Gen. XI. 5. Explicat Augustinus *filios hominum* lib. XVI. C D. c. 5. quod sint illa *societas secundum hominem vivens, quam terrenam dicimus civitatem.* Et c. 10. dicit, esse *pertinentes ad civitatem, quæ vivit secundum hominem, non secundum Deum, & reprobos* 1. Nomen.

 esse.

esse. Et ab initio capitis opponit hanc *civitatem terrenam in Babylone* Ecclesiæ, quæ spectabat *ad Patriarcham Sem*, i.e. *Civitati Dei*, ut idem appellat. *Ab illa superbia ædificandæ turris usq; in cœlum, qua impia significatur elatio, terrena apparuit civitas. h. e. societas impiorum:* Idem scribit, repetit. c.17. Suffragantur Augustino, Eucher. in Gen. XI. Rupert. Tuitiens. lib.3. de vict. verbi c. 2. B. Luther. enar. ad l. c. Genes. Sic scribens: *Facit hoc ea ratione, quâ supra, ut differentiam faciat inter veram & falsam Ecclesiam, inter filios Dei, & hominum filios. Hos vocat, qui carent verbo, qui sunt perditi & deplorati hypocritæ.* Sicut igitur filii Dei dicuntur à fide vera, quam concipiunt ex semine verbi divini; ita dicuntur filii hominum, qui vera fide veroque Dei verbo carent, nec nisi mundum, & carnalia sapiunt; Tales erant Cham, Nimrod, aliique, Gen. XI.4. moliuntur civitatem, cujus fastigium cœlum tangat: quæ est descriptio Ecclesiæ, juxta B. Luther. enar. f.4. t.2. verba §.7. citantur.

2. *Caussa* principalis.

§. 3. *Efficiens principalis* hujus Ecclesiæ fuit diabolus, pater mendacii & homicidii. Joh. VIII.44. Obscurius subindicatur in maledictione Canaanis Gen. IX. 25. Cum enim maledictione percutiatur Canaan propter peccatum, multo magis percutitur diabolus, qui Chamum & Canaanem ad peccandum impulit. Sicut contra benedictio dirigitur in Deum, omnis boni auctorem v. 26. quod per ipsum Sem & Japhet pietatem erga parentem exercuissent. Bene Augustin. lib. XVI. C.D. c.17. *Per idem tempus eminentia erant regna gentium, in quibus terrigenarum civitas, h. e. societas hominum viventium sub dominatu Angelorum desertorum, insignius excellebat.* Diabolus igitur, ut erat caussa conservans, sic & procreans Ecclesiæ falsæ. *Ministeriales* caussæ fuerunt homines. e. g. Cham. Gen. IX.22. narrat fratribus suis nuditatem Noachi parentis. Quo fine hoc fecerit, supra art. VI. sect.4. §. 10. exposuimus, nempe, ut doctrinæ patriæ, de venturo ex ipso Messia, derogaret, adeoque fratres quoque ad apostasiam pelliceret. *Ex Ham originem ducit falsa & mendax Ecclesia, tanquam ex fonte impietatis & malitiæ.* Luther. præfat. in c.11. Genes. Augustinus lib. XVI. C.D. c. 2. ex Chamo facit typum hæreticorum. Verba sunt hæc: *Cham, qui interpretatur callidus, medius Noë filius, tanquam se ab utroq; (Semo & Japheto) discernens, & inter utrumque remanens, nec in primitiis*

Ministeriales ut Cham.

m'tiis Israëlitarum, nec in plenitudine gentium, quid significat, nisi haereticorum genus callidum, non Spiritu sapientiae, sed spiritu versipellis astutiae, quo solent haereticorum fervere praecordia, & pacem perturbare sanctorum. Hæc ille, & post ipsum Eucherius, Isidorus; Confer Lact. lib. de Orig. err. Hammer. in Gen. f.73. Genebr. A. M. 1659. Danæ. antiq. Mosaic. p. 376. Bissel. ruin. dec. 1. An Zoroaster sit dictus? Negat Cl. & Rev. Dn. Ursinus in 1. exercit. de antiq. script. Mosaicæ. Pater equidem magnam de hoc filio spem videtur concepisse, ut ex nomine Lutherus colligit, sed postea apparuit, quam turpiter spe sua fuerit delusus. Avum secutus est *Nimrod* venator coram Domino. Nam de hoc Targum Hierosolymitanum ita verba facit: *Hic fuit potens in venatione, in peccato coram Jehova, quia fuit venatus filios hominum linguis suis, & dixit eis: discedite ab institutionibus Dei, & adhaerete institutis Nimrodi. Propterea dictum fuit: Fuit Nimrod heros potens in venatione, & peccato coram Jehova.* Et historia Scholastica c.35. in Gen. tradit: *Cogebat* (Nimrodus) *homines ignem adorare*, vide Turonens. hist. lib.1. §.5. Abulens. in Gen. xi. q.18. Non quidem certa hæc sunt, probabiliora tamen iis, quæ de Thara statuario referuntur, quod Abrahamum voluerit in ignem conjicere, quod tamen alii tribuunt Nimrodo, propter negatam idololatriam. Meminit Josephus lib.1. antiqq. Jud. c.5. sub finem ex Histiæo historico antiquo sacerdotum idololatricorum, quod idola curaverint: *Ajunt sacerdotes Cladis ejus* (subversæ turris Babylonicæ) *superstites, Enyleji Jovis sacra ferentes, in Sennaar Babyloniae pervenisse.* Si vera est traditio, sequeretur sacerdotes suos jam tum habuisse Ecclesiam falsam.

Nimrod.

Sacerdotes.

§. 4. *Media*, quibus usus est Satan ad constituendam, conservandam, & augendam falsam Ecclesiam, erant 1. *molliora*, nempe hypocrisis, seu larva pietatis erga verbum Dei, & Sacramenta. *Verbum Dei*; Nam præ sese ferebat gloriam Dei promovendam. Gen.x.9. dicitur Nimrod venator *coram Domino.* Quæ verba præclarè explicat B. Luther. enar. in Gen.x. f.191. *Nimrod*, inquit, *in suis oculis & coram toto mundo habitus est, quod coram Deo sit fortis venator, h. e. habitus pro sacerdote summo, pro capite Ecclesiae, & omnino talis, qualem se hodie Papa vult haberi.* Vult autem Papa haberi assertor gloriæ, & verbi divini, & hac specie incautioribus imponi,

Media vel molliora verbum Dei.

ut quondam Nimrodus. Libros Jovis Sagi rituales fingit Berosus lib. IV. Chald. insigni *ἀνιστορησίᾳ*. *Sacramentis* quoque abusi sunt Satan & ministri ejus ad homines seducendos. Gen. XI. 31. mentio fit civitatis, cui nomen Ur Chaldæorum. Ostendimus autem supra, unde nomen acceperit, nempe ab igne, quem Babylonii ea in civitate religiosè colebant. Speciosus erat hic cultus. Nam præ sese ferebat reverentiam & gratam memoriam ignis olim cœlitus dilapsi, quo Deus sese suamque voluntatem sacrificantibus declarabat. Cum igitur ipse Deus medium hoc, & symbolum sui elegerit, æquum esse putabant, ut sub illo quoq; coleretur: *Ex hoc igni loco nomen impositum est, ut Ur vocaretur civitas, in qua cultus ille maxime vigebat, ad quam populi, sicut postea apud Judæos ad Hierusalem, & nostris temporibus ad Romam, magna frequentia concurrunt.* Luther. ad l.c. Ignis igitur ille fuit quoddam quasi illicium populi ad Ecclesiam falsam attrahendi, etiam ex Semitis Tharam, Nahorem, Abrahamum.

& Sacramenta,

§. 5. Ubi molliora nihil proficiebant, succedebant (2.) *severiora*, Gen. IX. 22. Cham abutitur scandalo à patre accepto adversus sanam ipsius doctrinam, ut dubiam redderet, & everteret, contrarium autem fratribus, & aliis, persuaderet. *Itaque hoc factum Cham non est transferendum ad aliquem puerilem lusum, sed ad acerbissimum odium Satanæ, quo inflammat sua membra, contra veram Ecclesiam, & præcipue contra eos, qui sunt in ministerio, ut intenti in omnes cogitationes observent, si quid in calumniam potest rapi.* Luther. enar. f. 152. Penetrantissimum hoc telum est ad avertendos animos, si ostenderis publica scandala, quæ perpetrantur, tanquam doctrinæ, quæ vera venditatur, sed falsa sit, fructus. *Sic videmus Papistas hodie nihil aliud agere, quam ut observent totam nostram conversationem, hoc calumniandi studio:* ibidem ait Lutherus. Neque hic substitit odium adversariorum, sed itum est ad alia quoque. Nam Gen. X. 9. Nimrodus vocatur *venator. Venator feras capturus eas investigat, ex omnibus angulis in unum cogit, & hac de caussa multos rusticos, aut alios homines fatigat. Et quando ita coegit, tum vel astu & insidiis eas capit, vel vi & pernicitate eas opprimit, & prosternit. Sic quoque rem aggressus est Nimrodus, ut astutia & violentia homines oppresserit.* Lyser. Noach. p. 382. Lutherus duplicem in Nimrodo notat

vel *Severiora* ut calumniæ,

& violentia.

notat tyrannidem, politicam, quod cœperit esse potens in terra, quod *sine cade & sanguine* fieri non potuit; Et Ecclesiasticam, non enim *contentus tyrannide in rep. etiam in Ecclesia volebat dominari, erigebat novos cultus, eos autem, qui coram Deo erant, opprimebat. Nam Moses dijertè distinguit duos conspectus, alterum coram Deo, alterum coram hominibus.* Pergit: *Hac* (pietatis) *specie Nimrod quoque texit sua consilia, ut haberetur pius, clemens, reip. utilis, & Ecclesia necessarius: alioqui non erat habiturus tantum applausum vulgi. Sed verè Nimrod est apostata & tyrannus, vexator & direptor generis humani, ac postea persecutor, & occisor sanctorum hominum, & verorum sacerdotum, qui conati sunt ei titulum tam magnificum eripere, & hominum saluti consulere.* Hactenus Lutherus. Ex his apparet, falsa Ecclesia quâ fraude, qua vi adversus veram grassetur, semetipsam autem fundet, confirmet, & amplificet.

§. 6. Miracula addunt veteres, qui amplius de Chamo & aliis scire voluerunt, quam in probatis monumentis invenitur. Revera autem vel falsa sunt, & ficticia, quæ referuntur, aut certe magica, & recentiora, quam volunt haberi. Subjiciam ipsa verba. Clemens, nescio quis, certè, judice Baronio, *insanorum mendaciorum scriptor*, lib. IX. recognit. ita fabulatur. *Cham, unus è Noe filiis Misraimo, filio suo, à quo Ægyptiorum, & Babyloniorum, & Persarum ducitur genus, male compertam magica artis tradidit disciplinam. Hunc gentes, qua tunc erant, Zoroastrem appellarunt, cujus nomine etiam libri super hoc plurimi habentur. Hic volens Deus haberi, scintillas quasdam ex stellis producere, & hominibus ostentare cœpit: Sed, cum sapius hoc molitetur, à dæmone, quem importunius frequentabat, igni succensus, concrematus est. Stulti illi, tanquam amicum Dei, & fulminis vehiculo ad cœlum sublevatum, adorare ausi sunt, & quasi vivens astrum, hoc enim nomen post mortem accepit Zoroastres, coluerunt.* Quod hic refert de Chamo, idem Gregorius Turonensis lib. 1. hist. c. 5. tribuit Chus, Chami filio, sic enim fatur: *Primogenitus Chami Chus. Hic fuit totius Magica artis, imbuente diabolo, & Idololatria inventor. Hic primus statunculam adorandam diaboli instigatione constituit: qui & stellas, & ignem de cœlo cadere, falsa virtute hominibus ostendebat. Hanc Persa vocavere Zoroastrem, i. e. viventem stellam: ab hoc etiam ignem adorare consueti, ipsum divinitus igne consumptum, ut Deum, colunt.* Hæc ille.

An & miracula?

ille. Uterque tamen post multos alios, insigni ἀνισορησία laborat, Transformantes Zoroastrem ultimis prophetarum, & Persarum regibus quibusdam supparem in nescio quem Chamum, vel Chus aliquot ante secula viventem. Vide Ursin. de Zoroast. sect.5.

Formalis est. *Religio* ejus Nomen & articuli *speciosè* de Dei existentia.

§. 7. *Religio* Ecclesiæ hujus ponderanda est. 1. *Nomen* ipsi geminum tribuit Epiphanius in præfatione panarii: *Secunda*, inquiens, *sectarum omnium mater est Scythismus, à diebus Noë usque ad turris Babylonis ædificationem, & post turris Babylonicæ tempus, ad paucos ipsius Phaleg & Rhagau annos, qui ad Europæ declinantes regionem, Scythiæ parti, & ipsorum gentibus adjudicati sunt.* Nomen igitur religioni est Scythismus; quem secutus est Græcismus, ab eodem sic dictus, lib. 1.t.1. *Scythismus à diluvio usq; ad turrim & Serug fuit; à Serug autem usq; ad Abraham, Græcismus.* Distinctius hac de re loquamur. (1.) De *Deo* quid crediderint. *Esse* aliquem Deum non negarunt. Nam Nimrod erat fortis venator *coram Domino*. Dei igitur nomen præ se ferebat, *habitus pro sacerdote summo, pro capite Ecclesiæ, & omnino talis, qualem se hodie papa vult haberi*: juxta Luther. f.161. Nolebat quidem ipse Deus haberi; Nam Dominus, coram quo erat venator, non erat ipse Nimrodus, sed alius, volebat tamen haberi Dei vicarius, & minister coram hominibus. Ipsa lex naturæ, conscientiæ inscripta, dictitabat ipsis, Deum aliquem esse; accedebant frequentes & apparitiones Dei, & conciones Noachi, & Semi, & aliorum Ecclesiæ ministrorum de Deo, quibus lex naturæ firmabatur. *Attributa* divina quoque non negabant, ea præsertim, quæ ex libro naturæ leguntur, ut sunt divinitas, æternitas, potentia, sapientia, bonitas. &c. Sed nec *opera*, creationem, & admirandam gubernationem: Nam observare poterant ex creaturis, à Deo conditis, ex diluvio terris inducto, & linguarum miraculosa confusione, quod esset aliquis Deus, qui res humanas videret & moderaretur. Gen. XI. 5. Deus dicitur *descendisse*. *Descendit autem Deus, non re, seu substantia: Est enim ubique; sed definit dissimulare, definit esse longanimis, & incipit revelare peccatum, punire, & arguere. Homines igitur secuti, qui antea longè eum judicabant abesse, nunc præsentem esse vident, ac pavent.* Luther. f.68. Deum in his terris habere aliquam *Ecclesiam*, fateri se præ se ferebant. Nam Nimrod erat fortis *coram Domino* venator: scilicet, *voluit coram Deo esse fortis venator, h.e. Dominus in Eccle-*

attributis.

operibus.

Ecclesia.

Ecclesia. f.161. Eoque fine turrim struxit ad cœlos usque pertingentem. *Non enim referendum hoc tantum est ad altitudinem, sed significat quoque locum cultus, ut intelligas, Deum proximè hanc turrim habitare. Ita enim solet Sathan ornare se titulo divinitatis, & superstitionem vult haberi pro religione.* f.165. Nec dissentiebat in externa pietate, utpote hypocrita: ut optime iterum B.Lutherus scribat: *Babylonica religio Nimrodi fuit speciosissima. Siquidem Deum coluerunt sub titulo lucis, quæ optima forma, seu figura divina majestatis est. Et ipsa sacra literæ Deum lucem appellant. Ad hunc cultum, qui pulcherrimam speciem habuit, accessit etiam vita & mores probati.* f.4. in Gen.XI. Certè Cham videri volebat indignari peccatis, iisque sine respectu personarum, adeo, ut nec parenti parceret, ut sunt hypocritæ rigorosi aliorum morum censores. & pietate & virtutibus.

§. 8. Hæc illi ad speciem. Nam grandes latitabant errores (1.) de *Deo.* Errabant enim alii in objecto, alii in modo colendi objectum. In *objecto* illi, qui vero falsum substituerunt, e.g. *Homines,* eosque vel *vivos,* ut Nimrodum Gen.X.9. Nam Joseph. lib.1. antiq. c.5. de hoc refert, quod jactitaverit apud suos, *non Deo, sed propriæ virtuti præsentem felicitatem eos debere. Atque ita,* addit idem, *paulatim rem ad tyrannidem trahebat, ratus fore, ut homines ad se deficerent à Deo.* Deum igitur se ipse faciebat, vivus adhuc, idololatria saltem subtili. Gen.XI.4. id ipsum haud obscurè innuitur. Nam dicunt: *Nobis* ædificemus Civitatem: quæ verba sic παραφράζεται Josephus: *vulgus facile Nabrodis placitis obtemperabat, ignavum ratus Deo cedere:* & sic *obliti sunt, se Dei benignitate præsentibus commodis perfrui, totamque illam felicitatem suis viribus acceptam ferentes, dicto ejus* (Dei) *non fuisse obedientes,* idem scribit. Suffragatur Chrysost. hom. 30. in Genes. Quare & vulgus in throno Dei ipsum locabat, velut ipse Deus esset, vel *mortuos* consecrarunt. E.g. Nimrodum, quem Beli nomine divino nuncuparunt, si vera sunt, quæ narrat Xenophon in æquivocis, de quadam Semiramidis inscriptione, in honorem Beli soceri facta. Certè liber Sapientiæ c.XIV.14.seqq. primam idololatriæ originem refert ad cultum mortuorum. Defuncto enim ante parentem filio, ut Harane ante parentem Thara, Gen.XI.28. dedicabatur ab impatiente patre imago, filium defunctum referens, velut in Deorum numerum esset rece-

Falsi de *Deo* quoad objectum vel vivum,

vel mortuum

receptus. Vide Egesippum apud Hieron. de vir. illustr. tit. Egesippus. f. 125. Cyprian. de van. idol. Eusebium in Chronico; lib. 1. f. m. 9. Chrysost. hom. 87. in Matth. Epiphanium in princ. panar. Ambros. in c. 1. Rom. Hieron. ad l. c. August. lib. XXII. cont. Faust. Man. c. 17. Cyrill. lib. 3. contr. Julian. Epiphanius expresse habet de Thare, quod primus filii imaginem dedicarit. Fulgentius autem 1. Mythol. cuidam Syrophani Ægyptio tribuit hanc superstitionem; Historia vero scholastica ad Ninum refert, quod patrem consecrarit; quos conciliat Robertus Olkot. lect. 163. dicens, idem à diversis in diversis regionibus factum esse. Non autem quosvis fingebant Deos, sed, vel cognatos, vel, qui *præ cæteris extiterant celebres, aut fortitudine, aut venusta facie, aut copia consilii, aut alioquin memoria digni*, ut ex Patricide, & Elmacino historicis Arabicis refert Hotting. lib. 1. hist. orient. c. 3. p. 28. Post Epiphanium ab init. Panar. Inter omnes illustre nomen fuit Beli, quod in consecratione accepit, & dominum significat. Turris, quam struxerunt, ipsius honori cessit, ut lib. 1. scribit Herodotus. Et suffragatur Strabo, docens, fuisse Beli sepulchrum, & deinde in templum conversum. Diu post, juxta Abydenum apud Euseb. lib. 1. præp. Evang. restauratum & exornatum est à Nabuchodonosore, rege Babyloniorum. Conf. Dan. I 2. Hottingerus ex Kestæo meminit, quod alii *coluerint idola, alii solem, alii lunam, alii stellas alias, alii lapides, alii ignem.* Dixerim cultum hunc non statim fuisse, ut loquuntur, terminativum, sed transitivum in Deum verum, quem se hac ratione colere censebant. Conjicio, quod dixi, ex *igne*, quem venerabantur. Symbolum hoc erat, & signum, quo Deus sese suamque voluntatem revelabat; Hoc igitur in pretio cœperunt habere, asservare, circumgestare, & venerari, propter Deum, cujus erat signum. *Deum coluerunt sub titulo lucis, quæ optima forma seu figura divinæ majestatis est: & ipsa S. literæ Deum lucem appellant.* Luther. ad Gen. XI. Huc alludere putes nomen Jarach, Gen. X. 26. à luna deductum, quasi lunæcola fuerit pater, vel Lunæ dedicatus filius Jarach. Nolumus tamen aliquid definire, cum pater Jectan filius fuerit pientissimi Heber, ut non facile credendus sit ἀςρολάτρης. Addunt ἀνθρωποθυσίαν apud Hotting. p. 30. *Homines* enim, scribit Elmacinus, *liberos suos dæmonibus sacrificabant.* Dubito tamen, an hoc

vel Symbolicum ut ignem

& stellas, & modum;

hoc tempore *ἀνθρωποθυσία* cœperit; verisimilius existimans, cœpisse, postquam Abrahamus suum filium jussus esset mactare.

Cultum; |

§. 9. Etiamsi autem sive attributa divina, sive opera, providentiam cumprimis, diserte non negarent, tamen non ea, quâ decebat, fide credebant. Colligitur ex Gen. XI. 4. ubi dubitanter de futura in terras dispersione loquuntur. Comminabatur hanc Noachus, & cæteri Ecclesiarum ministri, facta veluti inductione pœnarum divinitus inflictarum; Chamitæ audiebant, movebantur, sed non omnino expugnabantur: *Neque credebant prorsus dispersionem futuram, nec prorsus securi erant, tanquam non esset futura, & in contemptum pia Ecclesia accingebantur ad novam ædificationem.* Luther. f. 167. enar. subdit conclusionem: *Itaque sunt hæc superbissima verba Satanæ, & filiorum ejus contra Deum.* Elicit locum communem: *Ita semper impietas sui est similis, utrinque irridet Deum, dum sperat, & dum metuit. Hos enim duos affectus videmus in impiis mixtos.* Confirmatur ex v. 5. ubi Dominus dicitur descendisse, ut videret, quid facerent homines. *Sic enim videmus ista geri, dum peccator in actu est, & fervet, non videt, non loquitur, non sentit Deum; Sic enim judicat peccator, Deum non videre, nec sentire, quod faciat.* Illustrat ex Ψ. X. 11. ubi: *impius dicit in corde suo, oblitus est Deus, abscondit faciem suam, ne unquam videat.* Atque ita errant non practicè tantum, Deum operibus abnegando, sed quoque theoreticè, ut speculative etiam non credant Deum esse, vel providere. D. Hülsem. brev. c. II. §. 1.

Attributa & opera.

§. 10. De *Christo* quid senserit Ecclesia hæc apostatica, colligere est ex iis, quæ superius sect. IV. §. 10. dicta sunt, nempe, quod Cham non crediderit Messiam ex lumbis Noachi proditurum, & per Semum propagandum esse. Subinnuitur vocibus: *Benedictus Deus Dominus Sem:* Messias enim Semi dicitur Deus, in oppositione ad Chamum & Chanaanem; Sem igitur in futurum Messiam credidit, & hac sua fide suum fecit illum Deum Dominum, ut & Japhetus, in tabernacula Semi receptus; Ab hoc impetravit uterq; benedictionem; Nam benedictus est Dominus Deus, quia ipse benedixit nos Eph. I. 3. Contra Cham cum suis est maledictus, quia carebat fonte benedictionis, Messia, in quem non credebat. Fides est organum, quo benedictionem spiritualium & cœlestium bono-

De *Christo* quoad personam & officium.

rum in nos derivamus, & applicamus: Quisquis igitur benedictus est, is habet fidem, fidem autem in Christum, ex quo omnis est benedictio, Act. IV. 12. Eph. I. 3. Contra quisquis maledictus est, caret fide, adeoque & Christi benedictione; Est enim sub lege, quæ istam benedictionem nescit, solum maledicere docta. Gal. III. 10.

De merito operum.

§. 11. Ex dictis colligi potest error (III.) *de operum merito.* Hypocrita erat Chamus, qui sibi videbatur pius & honestus esse cum parente collatus. Ridebat enim hunc, ex animo malevolo, & traducendi cupido. Hic autem genius est sanctulorum, qui sibi præ aliis in sua sanctimonia placent, ut spernant alios, vel, ut simplices, vel, ut malos, se autem sapientes & puros venditent. Cham igitur ridebat simplicitatem sui parentis Noachi, & fratrum ὁμοψύχων, quod crederent in futurum Messiam ex lumbis Noachi proditurum, & sperarent in ipso salutem, cum longe sanctiorem radicem, quam Noachus temulentus & libidinosus esset, sibi delegisset, si quidem per ipsum, ex hominibus natu, salus nobis constaret. Ergo bona opera esse facienda, & à malis abstinendum, sic ut per & propter ipsa possimus justificari, & salvari. Explicationem hanc format oppositio inter maledictionem Gen. IX. 25. & benedictionem. X. 26. si conferamus lucem Novi T. Gal. III, 9. seqq. Nam hoc loco Paulus explicat, qui sint illi benedicti; nempe, qui præditi sunt fide Abrahamica, spem ponentes in solo Christo gentibus omnibus promisso; contra, qui sunt maledicti, nempe, qui operibus suis confidunt, & in ipsis quærunt justitiam & salutem. Maledictus autem fuit Cham, & Canaan, non civiliter tantum, sed vel maxime spiritualiter propter flagitium comissum; Sicut vice versa Sem in Benedicto benedictus est, non tam in civilibus, quam cœlestibus bonis. Cham igitur suis nitebatur bonis operibus, nec fide apprehendebat Messiam, secus non fuisset maledictus. Illustrantur, quæ diximus, ex Gen. XI. Nam apparet exinde, quod §. 8. diximus, φιλαυτία, & apotheosis sui ipsius, spreto vero Deo. Quis igitur crederet, superbos istos gigantes peccatores sese agnovisse coram Deo, qui non sua, sed aliena justitia, & ope justificentur, & salventur?

Defectus 1. Unitatis.

§. 12. Apparet partim ex dictis, partim ex dicendis, quod Ecclesia hæc nec fuerit (1.) *Una*, unitate sive interna, sive externa. Initio

Initio quidem conſpirabant velut unum cor eſſent: *Unde intelligimus, non quemlibet conſenſum bonum eſſe: Nam etiam impii inter ſeſe conſpirant, & tanta quidem pertinacia, ut à propoſito non patiantur ſe avelli.* Marbach. l. c. ſed diuturna illa conſpiratio non fuit. Nam Gen. XI. 7. 8. 9. habetur confuſio linguarum, cauſa diſſenſionum non tantum in politia, ſed etiam Eccleſia. *Non enim exiſtimandum eſt, quod hæc pœna deſierit. Adhuc durat, & præſertim Eccleſia ſentit tam grave incommodum. Quoties enim accidit, ut ob unam non magni momenti cæremoniolam diſſiderent Eccleſiæ?* Luther. in l. c. Diſſenſus ille eſt cum internus, tum externus; *Tacitæ enim* ex illa confuſione *inimicitiæ in corde enatæ ſunt; noluerunt amplius cohabitare, non auſus eſt alter alteri tuto fidere, & quemadmodum peregrinis linguis ſibi invicem locuti ſunt, ita etiam corda reddita ſunt quaſi peregrina, ut ſe mutuo non amplius voluerint juvare. Sicut adhuc hodie videmus, neque tempore pacis diverſarum linguarum nationes ſibi invicem ſatis eſſe fidas, niſi amor & unitas religionis eas arctius conjungat.* Verba ſunt B. Lyſeri in Noach. p 427. Dirempti igitur fuerunt etiam ſententiis in religione, & ſuâ ſingulæ familiæ ſacra celebrarunt ſeorſim. *Nam linguarum confuſionem ſecuta eſt etiam confuſio religionis. Antea ſeniores inſtituebant juniores; Et ſi quis alteram ſequi voluiſſet religionem, mox fuiſſet admonitus, atq; hoc modo confeſſionis puritas, & unitas inter ipſos conſervabatur. Jam vero quisque peculiarem ſibi eligebat religionem. Et apud eos, qui puritatem linguæ amiſerant, nemo erat, qui poterat interpellare, monere, corrigere. Hinc ergo orta eſt omnis idololatria.* Hæc idem Theologus judicioſiſſimus. Ex Rabbinis Aben-Eſra bene notat: *Diverſi mores & linguæ inducunt odium & æmulationem.* Et Scalig. exerc. 259. §. 1. *fortaſſis non defuiſſe arbitratur, qui ſibi dictam putarunt contumeliam, atque propterea manum conſererent.*

§. 13. Nec (1.) *Sancta:* ſive reſpicias *doctrinam*, utpote quæ nec erat *ſalvifica*, Chamo propterea maledicto cum Chanaane, quod in parente ebrio, & nudo riſiſſet fidem de Meſſia venturo adverſus operum merita operoſam. Gen. IX. 25. Gal. III. 10. *nec ſanctifica*, ut apparet ex fructibus. Nam aſſeclæ Deo ſeſe æquiparabant. Gen. XI. 4. idola colebant. vid. §. 8. nomen Dei profanabant. §. 13. ſect. IV. ex Gen. X. 9. Magiæ ſtudebant, ut Chamus, juxta Serenum Abbatem apud Caſſ. collat. VIII. c. 21. Auguria obſerva- 2. *Sanctitatis* in doctrina & moribus ut apoſtaſia.

 bant,

bant, ut conjicit Brent. in Genes. f. 204. Parentes & superiores irreverenter habebant. §. 14. aut pravè imitabantur, ut Chanaan *doctrinae paternae discipulus, & pessimarum aemulus cogitationum*, juxta Ambros. de arc. c. 32. Proximum vi opprimebant, sive bonis suis exuebant. Videas hoc ex descriptione Nimrodi: *venatoris*; ut enim venatores persequuntur & interficiunt feras, sic Nimrodus *in homines quoque immanitate sua saevire coepit.* Marb. l. c. Quod si Assur Gen. X. 11. est Assyria, ut Chytraeus & Bochartus volunt, nec omnino abnuit Marbachius. Ergo Nimrod expeditione in Assyriam suscepta suam fecit regionem Semitarum, quod sine sanguine factum non est: Et ex facto Canaanis qui cum filiis & posteris suis invasit terram Semo adjudicatam. Cujus gratia merito ab Israëlitis, Semi posteris, expulsi vel caesi sunt postea Cananitae ex terra, Semitis, non Chamitis debita. Cedren. f. 10. hist. Ex quo fundamento Epiphanius lib. 2. contr. haeres. t. 2. refutat Manichaeos, qui duos fingebant Deos sibi invicem contrarios, alterum jubentem Cananaeos habitare in terra Canaan, alterum prohibentem. Neque enim, respondet Epiphanius, Deus jusserat Chamitas istam occupare regionem, sed ipsi per vim sese intruserunt, quare postmodū Israëlitae in suas venerunt sibi debitas sedes, cum, Josua duce, Cananaeam occuparent. *Libidinibus* indulgebant, si vera est traditio de Nimrodo, quod spurius extiterit, deque Pathrusim & Casluhim, quod permutatis inter sese uxoribus genuerint Philistim & Caphthorim; ut ex voce *exire* Gen. X. 14. Judaei colligunt. Sed frustra, Nam ea vox intelligenda est de migratione ipsorum, vide Luther. ad l. c. Similis farinae est, cum Chrysostomus ad Gen. IX, 18. reprehendit Chamum, quod in arca genuerit Canaanem, i. e. ne quidem in tantis malis sibi à venere abstinuerit. At scriptura dicit, Noachum arcâ egressum esse cum uxore, filiis, & nuribus, nequaquam cum Canaane nepote. Sed nec illud mihi persuaserim, quod Berosus lib. 3. Chald. refert de Chamo, quod docuerit *congredi, ut ante diluvium, cum matribus, sororibus, filiabus, masculis, brutis, & quovis alio genere.* Perjuria & perfidia non videntur aliena fuisse ab istis hominibus. Certe Nimrod à rebellione dictus est. Testimonia haec sunt pravae concupiscentiae latentis, & hominem ad peccata irritantis. Jac. I. 14. 15. Nec *solatiis* Nam destituebatur

Injuriis.

Libidinibus.

batur verbo Dei & promissionibus, unde omnia solatia promanant. Certe Chanaan parum solatii habuit, cum cogitavit maledictionem. Sive respicias *mores*, jam apparuit, quales sese gesserint cum erga Deum, tum erga proximum: Sive *cultum externum*, qui idololatricus & profanus, quod hactenus ostensum vide §. 34. Falso igitur sibi tribuebant nomen הסידים *sanctorum*, uti legit B. Lutherus Gen. XI. 28. quasi Spiritus sanctus substituisset כשדים. *Vocabulum Casdim significat Chaldaeos. Ego autem in ea sententia sum, quod ob novum cultum Ur vocata sit (Ur Chasidim) q. d. Sanctorum civitatem. Sicut Romam appellarunt principem Ecclesiam, & caput reliquarum Ecclesiarum omnium. Sed Moses invertit appellationem: q. d. Non estis Chasidim, sed Casdim. Non sancti, sed Chaldaei.* Adde Nimrodum. Hic in avo Cham jussus est esse servus servorum; At *imperium sibi in alios vindicavit vi & tyrannide, non voluntate Patris Nohami, cujus sententia servire debebat, non dominari, ut maledictus in Chamo.* Verba sunt B. Marbachii comm. ad Gen. X. Cultibus.

§. 14. Nec (3.) *Catholica*. Si respicias doctrinam. Nam non semper obtinuit idololatria, nec opinio de propriis meritis; Utpote quae aliena est à fide patrum, qua salvati sunt. Actor. XV. 11. Certè doctrina Evangelica, de futuro Semine mulieris. Gen. VIII. 21. sacrificiis adumbrata v. 20. & foedere confirmata. Gen. VI. 18. ad solum Messiam remittebat, eratque prior, quam cacodoxia Chami. 3. *Catholicismi.*

§. 15. Interea pulcherrimam, & eam prae sese ferebat speciem falsa haec Ecclesia, quali Papatus hodie adhuc gloriari solet (1.) *Catholicismum*, speciosum nomen. Nimrodus enim dicebatur fortis *coram Deo* venator. Gen. X. 9. Praetexebat igitur Dei nomen suis venationibus. Gen. XI. 4. excitare volunt urbem & turrim, cujus cacumen coelum tangat, prae sese ferentes, Deum speciali sua praesentia hic gratiosum esse, utpote in Ecclesia vera. (2.) *Antiquitas* videbatur favere. Nam idololatria jam ante diluvium fuit, juxta Tertullianum, citante Lorino ad Sap. XIV. 15. Opinio bonorum operum jam Cainum vexabat, primogenitum inter homines omnes, vid. de Eccles. ante diluv. p. 152. 153. Atqui hic ipse error fuit & Noachidarum apostatarum. (3.) *Duratio*. Vides haeresin cum Chamo coepisse, & continuatam esse usque ad Abrahamum, quem ipsum corripuit. (4.) *Amplitudo*. Longè latèque domina-

Gloria 1. Catholicismi. 2. Antiquitatis. 3. Durationis. 4. Amplitudinis.

minabantur Chamitæ, in Asia, occupata Babylonia, Assyria, Palæstina, Arabia, Ægypto, quæ Ham dicta est, à Chamo suo Domino. Hieron. quæst. in Genes. f.93. Josephus lib. 1. antiq. c.7. exprimit fines; scribit enim *Chami filios occupasse Syriam, & regionem Amano Libanoque montibus hærentem, quidquid ejus ad mare vergit occupando, & Oceanum usque terminos ditionis proferendo.* Præmiserat c.5. de Babyloniis, quod conscensis navibus ad insulas quoque. Japheti sortem, penetrarint. Et considera mihi universum mundum, qui diluvio periit, ad octo animas in arca servatas. *Valde pauci inveniuntur, qui cum ipso Noë salvantur, & proxima ei propinquitate junguntur & tenent figuram. Sicut & Dominus noster verus Noe Christus Jesus paucos habet proximos, paucos filios, & propinquos, qui verbi ejus participes sint, & sapientiæ capaces.* Origen. hom. 2, in Genes. Nihilominus ἑνὸς εὐφυΐα τὴν περὶ μυρίους διαδείκνυσιν ἀφυΐαν *generosa unius indoles multorum pravum ingenium coarguit.* Scribit Philo in lib. de gigant. vid. Ambros. c. 3. de arc. Perer. t. 2. in Genes. 6.
5. §. 11. (5.) *Successio* Gen. X. 6. numerantur posteri Cham, usque ad
Successionis. Nimrodum, qui Babelem condidit religionis arcem. Si placet Pontificiis Berosus, legant quæ lib. IV. Chald. habet de successio-
6. ne. (6.) *Conspiratio doctrinalis* modo §. 2. ostensa est. (7.) *Unio mem-*
Conspiratio- *brorum* inter sese, & cum capite. Gen. XI. 1. seqq. conspirant inter
nis. sese de exstruenda civitate, & turre, quæ cœlo immineant. vide Glass.
7. Vnionis. im Mosaisch. Lehr- und Gesch. Kern. p. 636. (8.) *Sanctitas* doctrinæ.
8. Videbantur omnia agere *coram domino.* Gen. X. 9. ex jussu nimirum
Sanctitatis. divino. vide Luther. ad Gen. XI. 28. verba citata sunt §. 13. sub fin.
9. (9.) *Efficacia doctrinæ.* Nam in suas partes pertrahebant etiam veræ
Efficaciæ. membra Ecclesiæ, nec infimos, sed illustres viros, imò Ecclesiæ an-
10. tistites, Nahorem, Tharam, Abrahamum. (10.) *Sanctitas vitæ* Gen. IX.
Pietatis. 22. videbat Cham suum parentem, *sibi visus sapiens, & sanctus, & suo judicio multa censuit à patre male, aut stulte facta.* Juxta Luther. enar. Si Nimrodus est Ninus, ut quidam volunt, fuit ζηλωτὴς ἀρετῆς, *æmulus virtutis:* ut Diodoro dicitur. Certè *coram Domino* fuit venator, quod de sacrificiis Deo oblatis exponit Aben-Esra. vide Fag. not. ad Paraphr. Chaldaic. l. c. Chrysostomus hom. 29. in Genes. ait, à Deo accepisse existimationem. An vero Saturnus ille Babylonius fuerit, quem Berosus lib. 4. Chaldaic. scribit *paci & religioni De-*

orum magis quam opulentiis studuisse, id dubium mihi videtur. Item quod Boulduccus lib. 2. de leg. c. 4. narrat de pietate suorum Amathæorum, Hevæorum &c. figmenta hæc sunt monachi, non ex veritate dicta. (11.) *Miraculorum gloria.* Vide §. 6. superius. (12.) *Lumen Propheticum.* Disputat Torniellus de nomine Nimrod, & statuit, spiritu prophetico fuisse inditum. Verba sunt hæc: *Mihi probabilius videtur, et primo nomen Nemrod, à proprio patre fuisse impositum, qui prophetiæ dono (quod interdum etiam malis concessum constat) futura prospiciens, nominaverit filium suum Nimrod, eo, quod tunc providisset, ab eo tyrannidem in mundo esse introducendam.* an. 1931. §. 30. (13.) *Confessio adversariorum.* Largiuntur hanc Epiphanius, & alii patres, imo ipsi etiam Pontificii quidam, fatentes Tharam & Nahor, & Abrahamum degenerasse in idololatriam. Fuerunt autem hi in Ecclesia vera, saltem quoad apparentiam; Fatebantur igitur adversarii aliâs idololatrarum errorem horum esse verum. (14.) *Infelix exitus adversariorum.* Assur ex hæreditaria sua terra expellitur; sedibus suis pelluntur alii piorum, Abraham cum suis conversus nusquam invenit, ubi stabilem pedem figat. §. 18. sect. IV. (15.) *Felicitas temporalis.* Hæc insignis Chamitarum fuit. Floruerunt enim victoriis, copia hominum, potentia, felicitate locorum. Sic *Ham ædificavit civitatem, & turrim Babel, ac latè dominatus est: & contra Sem, & Japhet egent, viventes miserè in tabernaculis.* Luther. enar. vide Gesner. disp. X. in Gen. q. 11. Glass. Mosaisch. Lehr- und Gesch. p. 531. seqq. § VIII. qui parallelismum inter Chamiticam & pontificiam Ecclesiam latè instituit.

11. Miraculorum. 12. Propheticum. 13. Confessio adversariorum. 14. Infelix exitus adversariorum. 15. Felicitatis temporalis.

§. 16. Sedes primaria religionis fuit Urbs & turris Babylon. *Scriptura* enim *divina terrenam civitatem in Babylone, h. e. in confusione esse monstrat.* Scribit August. lib. XVI. C. D. c. 10. De hoc loco aliquid amplius dicendum est ex scriptura, & historiis aliis. *Nomen* accepit à בלל confundere, extruso L. litera, pro Balbel: *Ideo vocavit nomen ejus Babel, quia ibi בלבל bilbel, i. e. confudit Dominus sermonem totius terræ.* Ita Onkelos ad Gen. XI. 9. Exempla similis elisionis recitat Boch. l. 1. Phal. c. 15. Dicitur ראשית vel initium, vel caput regni Nimrodiani Gen. X. 10. Falluntur, qui putant vel Susa, vel Niniven, vel Bagdad fuisse. Hæc enim est Seleucia, ista in Assyria, sicut & Susa: cum Babylon sita sit in Chaldæa.

Locus. Erat *Babel!* ejus 1. Nomen. 2. Auctor primarius.

dæa. *Auctor* primarius fuit Nimrodus. Nam Gen. X. 10. initium imperii Nimrodiani dicitur fuisse Babel: ea ipsa scilicet urbs, quam excitarunt homines, quorum linguæ confusæ sunt & hinc dicta est civitas Babel. Confirmatur ex Joseph. lib. 1. antiq. Judaic. c. 5. qui refert verba Nimrodi ad structuros: *Turrim enim se ædificaturum, excelsiorem, quam quo aqua ascendere posset, & insuper majorum suorum interitum ulturum.* Auguſt. C. D. lib. XVI. 4. *Unde* (Gen. XI.) *colligitur gigantem illum Nemroth fuisse illius* (Babelis) *conditorem.* Sunt qui Noachum quoque structuræ auctorem fuisse censent, ut Abulens. q. 3. in Gen. XI. Alii Salam quoque addunt, ut Cedren. in Comp. hist. f. 9. ἐγκεχείρετο, scribens, τῆν οἰκοδομῆν *ædificationi præfuit.* Philo in antiqq. Bibl. in tres ordines dividit structores Semitas, Chamitas, & Japhetitas, singulisque quasi chiliarcham præficit, cujus ductu ædificarent. Suo hæc loco relinquimus. Non tamen putamus vel Noahum, vel Salam consensisse in istam machinationem, nedum auctores extitisse. Dicitur enim Deus descendisse, ut videret, quid facerent *filii hominum.* Gen. XI. 5. At Noah, Sem, Eber &c. erant filii Dei fideles. Salian. an. 1909. §. 5. Facilius largimur, quod ex Hebraicis antiquitatibus refert Mercerus, quod Cham quoque, & Jectan fuerint ἐργοδιῶκται. Vapulant, qui à Semiramide conditam civitatem hanc esse tradunt, à Ctesia decepti, ut proinde ipse Curtius dubitet, nostramque sententiam faciat probabiliorem: *Semiramis eam* (Babyloniam) *condiderat, vel, ut plerique credidere, Belus, cujus regia ostenditur.* lib. 5. hist.

& Ministri. *Ministeriales* caussæ fuerunt homines dicto Nimrodi audientes. Etsi autem plerique Chamitæ fuerint, non tamen omnes. Nam & Semitæ in suas sunt divisi linguas. Gen. X. 31. interfuerunt igitur & ipsi struendæ civitati & turri.

3. Materia. *Materia* fuerunt הלבנה *lateres,* & החמר *bitumen.* Gen. XI. 3. *Nemrodus, ut erat ad inveniendum expeditus, terram, docet, illam, ut gleba feracis, sic imprimis argillosæ, limique mollis esse. Posse fornacibus exstructis, & excitatis figlinis, in saxorum formam quadratam effingi coquique lateres, pondere, vel fœmineis manibus tolerabili; numero supra fidem ingenti; soliditate, quantivis seculi pari, durabilique. Quod si ligaminum quoque, quibus inter se tot laterum millia committerentur, eos cura solicitaret, non esse, sicut in saxis, ferro, non chalybinis, plumbeisve nexibus, ac nec calce quidem, opus, atque cæmento*

cæmento, cujus utique in regionibus illis, haud secus ac lapidum, necessaria premerentur penuria. Sed observasse se creberrimos insoliti liquoris fontes, per universum illum Chaldææ tractum, qui, cum aquis una, glutinosum quoddam, ac tenax, & , diversis inter se colligandis perquam idoneum, viscum expellant, summo latici, spumarum in morem supernatans, picei lentoris, odoris sulphurei, candidique coloris. Hactenus Bissel. dec. I. ruin. illustr. p.360. vide Herodot. in Clio, Joseph. lib. 1. c.5. Plin. hist. nat. lib.xxxv 15. Theodor. q.58. in Genes. *Forma* alia fuit civitatis, alia turris. Nam non hanc tantum, sed etiam istam excitarunt. Hieronymus in Esai. XIV. 21. ita hac de re commentatur: *Arx, i. e. capitolium illius urbis, est turris, quæ ædificata post diluvium in altitudine 4000. dicitur tenere passuum, paulatim de lato in angustias coarctata, ut pondus imminens facilius à latioribus sustentetur. Describunt ibi templa marmorea, aureas statuas, plateas lapidibus, auroque fulgentes, & multa alia, quæ videntur incredibilia.* Hæc ille. Alludit ad Herodotum, qui lib. 1. de eadem turre & civitate verba facit, dicens inter alia, fuisse forma quadratam. Confer Schotan. de 2.M. ætat. f 78. Sed placet nobis judicium Tornielli an. 1931. §.6. *Quantum jam alta esset turris Babel, quando ejus ædificatio disturbata à Deo fuit, scire non possumus: Quoniam neque Scriptura sacra id exprimit, neque Josephus, aliusve probatus auctor, id asseveranter affirmare ausus est.* Hæc ille, examinans sententiam Herodoti & Hieronymi. Accedit, quod Semiramis, & post ipsam Nebucad-Nezar multo ampliorem fecerint Babylonem, quam antea extiterat. De amplitudine ipsius vide Bochart. l VI. Phal. c.3. *Finis* fuit propria gloria. Nam dicunt: *nobis.* Gen. XI. 4. *ut perpetuam memoriam consequamur, ut nostri perpetuo memores sint posteri:* Sicut verba ipsorum imitatur Chrysost. hom 30. in Gen. Addunt de immunitate ab imminente alio quodam diluvio; nempe, ut tuti ab aquis essent in celsissima turre constituti. Sed qui tutos sese crederent in turre à diluvio, cum ne quidem in celsissimis montibus fuerint olim homines securi? Aut paulo post longius dispergendi? Rectius dixeris, metuisse sibi tyrannos ab aliis, ut sunt meticulosi, ne expellerentur, quare munire sese voluisse. Sed ecce stultitiam humanorum consiliorum, quam sibi ipsa sint adversa! quærunt ex hac structura gloriam & præsidium, sed lucrantur ignominiam & dispersionem

4. Forma.

5. Finis.

nem linguis confusi! vide Marbach. ad l. c. *Quod timet impius, evenit ei.* Prov. x. 24. Poëtæ fabulantur de Jove cœlitus deturbando. Nam hoc fine fingunt gigantes congessisse lapides & montes, ut cœlum oppugnarent. Non prorsus absurdè, si allegoricè accipias. Quod observant Philo de confus. lingg. Cyrill. lib. IV. contr. Jul. Atque ille ipse Jupiter immissis fulminibus audacissimos stultos deturbavit. Opponenda hæc sunt Alphonso Tostato, qui nihil peccasse structores censet, nec ex fine malo fecisse, comm. in h. l. Nec procul abludit Salian. 1909. §. 9.

6. *Locus* generalis & specialis.

§. 17. *Locus*, ubi structa est turris, alius est generalis, alius specialis. Ille dictus est *Sennaar*, à נער excutiendo, scil. turris structores, qui hinc in universam terram dispersi sunt. Repetitur Zach. V. 11. Esai. XI. 11. Dicitur & Babel, Babylonia, Chaldæa. Electum esse hunc potissimum locum non mirabimur, si cogitemus fertilitatem agri, laudatam ab Herodoto lib. 1. & Plin. lib. IV. hist. c. 26. Salian. an. 1909. §. 19. *Hic* non est, ut quidam Patres putant, Chalane civitas, alias Ctesiphon dicta, notante Hieronymo LXX. interp. additamentum ad Esai. X. 9. Nec est Borsippa, celebris Babylonæ civitas; Sed est civitas Babel, cujus velut ἀκρόπολις fuit illa famosa turris. Et fluvius ejus Euphrates, si Herodoto fides habenda, & Phlegonti, allegatis à Procopio Gazæo comm. in h. l. *Turris sita fuit in ea parte urbis Eufrate divisæ, in qua non erat regia. Non possumus dicere, quæ pars occidua, an orientalis fuerit. Forte ea pars, in qua turris seu templum Beli stetit, sola structa fuit ab his primis mortalium.* Schotan. de 2. M. ætat. f. 76. Certe scriptura distinctè meminit urbis & turris, innuens, in ipsa urbe conditam fuisse turrim, præ cæteris eminentem: Et Abydenus apertè: *τύρσιν ἠλίβατον ἀείρειν, ἵνα νῦν Βαβυλών ἐστι turrim* [illegible]*sam erexisse* scribit, *ubi nunc est Babylon.*

7. Tempus.

§. 18. *Tempus* aliud est structionis, aliud durationis, structura cœpit cum Thare nasceretur, anno mundi 1909. post diluvium 253. juxta computum Saliani in annalibus f. 167. Contra Bochartus lib. 1. c. 10. contendit, structam esse cum Peleg nasceretur, nempe 101. post diluvium. Tum enim divisa est terra per linguarum confusionem. Sed distinguit Salianus, inter divisionem factam à Noacho, dividente filiis terram, quod factum est tem-

tempore Peleg; & dispersionem, quæ diu post facta est, linguis confusis. Et si vera est Bocharti sententia, Nimrodus tum nondum erat natus, cum turris strueretur, quod quidem ipse concedit, sed invita scripturæ litera. Gen. XI. 9. quæ nomen urbi & turri inditum esse dicit à confusione; ejusque urbis primum Dominum fuisse Nimrodum X. 10. eadem testatur. Non autem fuisset primus, si ante ipsum urbs ista, & turris fuissent structæ ab aliquo alio Domino. Duravit turris adhuc tempore Herodoti, qui vixit circa annum M. 3872. nempe annos 1663. ad illud usque tempus. Varia tamen erant ipsius fata. Nebucadnezar, teste Abydeno apud Euseb. 1. de præp. Evang. restauravit & amplificavit.

1. *Consequens* falsum

§. 19. *Consequens* dicunt fuisse θεῖόν τι. Namque tradunt, quod Deus, immisso vento, machinam disturbarit, ut ex Sibyllinis oraculis referunt Joseph. lib. 1. c. 5. Theoph. Antioch. lib. 2. contr. Autolyc. Euseb. lib. IX. de præpar. Evang. c. cult. &c. Benjamin Tudelensis dicit, ignem de cœlo lapsum opus consumsisse. Eupolemus concidisse, dicit, vi divina impulsum. Vereor tamen, ut hæc satis certa sint. Nam Herodotus lib. 1. refert de turre ista, quod Belo fuerit consecrata; qui autem consecrari potuit, si fuit subversa? Cum igitur controversa hæc sint, mittamus; Et, quæ circa structuram contigerunt, discamus ex scripturis. Duo autem sunt præcipua, confusio linguarum, & dispersio struentium. Literam scripturæ circumscribit Sulpitius Severus: *Nutu Dei, ut officia operantium præpedirentur, inassueto sermonis genere, multa diverso, neque ulli invicem intellecto linguarum ritu loquebantur, quo promptius dispersi sunt, cum alter alterum, velut alienigenam, facile relinqueret.* Hæc ille: Passus quidem Deus est opus aliquousque procedere, & dissimulavit indignationem, *sic enim plerumque impios tolerat, ut non modo quietus, & cessanti similis, multa nefaria machinari sinat, sed etiam læto successu frui concedat, ut altius eos præcipitet*, juxta Marbach. p. 108. Confusionem linguarum, vel potius multiplicationem, secuta est dispersio hominum, colonias hinc inde in orbem deducentium, & cum hominibus etiam linguarum dispersio: *Postquam* enim *in fabricatione turris, per offensam Dei, linguarum diversitas attributa est, tunc sermonis varietas in omnes dispersa est natio-*

vera, ut confusio linguæ & dispersio in orbem.

nationes. Scribit Damaso Hieronymus. Dispersorum terminos in Synopsi refert Boch. lib. 1. Phal. c. 16. his verbis: *Termini dispersionis à septentrione fuerunt Thracia, ubi Thiras, & Caucasus, ubi Magog: A meridie Libya, ubi Phut, Æthiopia, ubi Ludim, & Arabia aromatifera, ubi Jectan cum liberis fixit sedes. Ab occasu Gallia, ubi Rhodanim, & Hispania, ubi Tharsis; ab oriente Media, ubi Madai, Persis & Elymais, ubi Elam, & Carmania, ubi Sabtecha.* Hactenus Bochartus.



Articulus II.

DE MATERIA ECCLESIÆ FALSÆ.

Argumentum.

Chamitæ non omnes falsæ Ecclesiæ addicti, ut Melchisedech. Plerique tamen Recensentur posteri Cham, nempe filii, ut Chus, Mizraim, Phut, Canaan: Nepotes ex Chus, Seba, Hevila, Sabtha, Raema, Sabtecha, Nimrodus: Ex Mizraim, Ludim, Anamim, Leabim, Naphtuhim, Patrusim, Casluhim, Pelistim, Caphthorim: Ex Canaane Sidon, Heth. Jebusi, Emorrhi, Girgesi, Hivi, Arki, Sini, Arvadi, Zemari, & Hamathi. Pronepotes ex Raema, Scheba, & Dedan Horum nomina, posteri, loca, res gestæ, termini, civitates, imperia, explicantur. Reges & status politicus, Tempus: Epilogus.

§. 1.

Chamitæ in genere non omnes hæretici.

HActenus dictum est de forma Ecclesiæ falsæ, annexa materiæ præcedenti, de scandalis doctrinæ, cultus, & morum. Sequitur materia, i. e. homines ad Ecclesiam falsam spectantes. Nolumus autem omnes à Chamo descendentes ad Ecclesiam falsam referre, secuti sententiam Augustini, putantis, sicut ab Ecclesia vera Semi & Japheti nonnulli interdum defecerunt, ita vicissim à Chamitis quosdam veræ Ecclesiæ dedisse nomen. *Fortassis enim*, ita loquitur Augustinus, *quod profecto credibilius est, & in filiis duorum illorum jam tunc, antequam Babylonia cœpisset institui, fuerunt contemtores Dei, & in filiis Cham cultores Dei.* lib. XVI. c. 10. C. D. Exempli loco possemus adducere Regem & Sacerdotem illustrem Melchisedechum, qui Hierosolymis versabatur, i. e. inter Cana-

næos

næos, dubio procul & ipse Cananæus: *Verti me ad Hippolitum, Irenæum, Eusebium Cæsareensem, & Emisenum, Apollinarem quoque nostrum, & Eustathium, qui primus Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus contra Arium clarissima tuba bellum cecinit, & deprehendi horum omnium opiniones, diversis argumentationibus, ac diverticulis ad unum compitum pervenisse, ut dicerent, Melchisedech hominem fuisse Cananæum, regem urbis Hierosolymæ.* Verba sunt Hieronymi epist. 126. ad Evagr. suffragantur ipsi Epiphanius, Theodoretus q. 63. in Genes. Suidas tit. Melchisedech; Pererius, Ribera, Capellus, Benedictus Justinianus, Salianus an. 2118. §. 22. seqq. Unde apparet, etiam inter medios impios Deum nihilominus habere suam Ecclesiam, sicut in medio quoque papatu servavit sua 7000, qui genua coram Baale non incurvaverant. Dicunt Pontificii: qui potuit esse Ecclesia vera, si ministerium fuit corruptum? Respondet Dionysius Areopagita, ille adeo celebris & probatus Author inter Pontificios, *Angelorum ministerio* conversum esse Melchisedechum, perinde ut ipse, referente Jesuita Saliano l. c. Deus igitur, deficiente ordinario ministerio, alios habet modos Ecclesiam colligendi. Neque tamen opus est ad Angelos confugere. Nam supererant eo tempore adhuc Noah, Sem, Japhet, Eber, aliique Ecclesiæ doctores, ex quibus Melchisedech potuit veram religionem audire. ut Melchisedech.

§. 2. *Cham*, Græcis Ζεὺς, à fervore; Ægyptiis, Ammon, vel Hammon; à חמם fervere, dictus, genuit quatuor filios, qui recensentur Gen. X. 6. quorum (1.) *Chus*. Æthiopes ex hoc descendisse, LXX. & Latinus interpretes, ut & Patres, & commentatores censent. Contrarium statuunt Beroaldus & Bochartus lib. 2. Phal. c 2. sentientes, Midianitas hoc nomine venire, unde fuit Sephora Mosis uxor. Exod. II. 16. 21. & Zara Asæ adversarius, Chusitarum vero Rex, quem longinquius esset ex Africana Æthiopia evocare. 2. Paralip. XIV. 9. His sese opponunt alii. Perer. lib. XV. in Gen. disp. 1. Salian. an. 1931. §. 44. seqq. distinguentes inter duplicem Æthiopiam, alteram orientalem, seu Arabicam, de qua Exod. 2. & 2. Paral. 14. sit sermo; alteram occidentalem, & meridionalem, quæ & Africana dicit possit, Libyæ contermina Jerem. XLVII. 9. Ezech. XXX. 4. 5. XXXVIII. 5. fieri igitur potuit, ut Chusitæ primum in Arabia considerent, in qua à scripturis quo- In specie: I. *Filii*, ut: Chus.

que sacris, & Beroaldo, & Bocharto collocantur, deinde in majus aucti terminos Ægyptum versus proferrent, & in Africa sedes quoque suas occuparent. (2.) *Mizraim.* Disputant de voce, hominem unum, an plures, i.e. ipsam gentem, num vero locum ipsum denotet? Negat Clariss. Bochartus lib.IV. Phal.c.24. hominem unum voce ista appellari. *Id enim*, rationem addit, *non patitur forma dualis.* At אפרים Ephraim est nomen unius hominis, dualis tamen numeri; Sic & אפים Appaym filii Nadab. 1.Paral.11.30.31. דבלים Diblajim parentis Gomer uxoris Hoseæ. l, 3. vide B. Glass. phil. sacr. gram. p.760. Dualis igitur non obstat, quo minus Chami filius secundo genitus intelligatur. Non tamen negamus, respectum haberi ad gentem, quæ ab ipso descendit, & regionem, nempe Ægyptum, superiorem & inferiorem: *Nomine* igitur *Misraim intellige patrem incolarum terræ Misraym*, vide Theoph. Antioch. lib.2. contr. Autolyc. divisæ in Superiorem, quæ Thebaidem, & Heptanomum; & inferiorem, quæ Deltam complectitur. Confer. Eucher. lib.2. in Gen.X.c.4. Erasm. Marbach. in Gen.X.p.102. Dicitur alio nomine Chemia, à Chamo Chusi parente & Misraimi: Et Ham; Hinc derivant nomen Alchemia, artis in Ægypto sive inventæ, sive exercitæ. vide Nic. Fuller. Misc. lib.2. c.4. Regio fuit munitissima, quod vel ipsum nomen à מצור *munimentum* subindicat. (3.) *Put*, vel *Phut*. Ex communiore sententia *Mauritaniam* occupavit. Nam in regione ista superest flumen, dictum Phut. Plin. lib.V. c.1. *Lydiam* alii malunt, ut vulgatus, & germanus interpretes ad Ezech. xxx.5. Bochartus autem viciniorem Ægypto facit Phuti sedem, nempe, quidquid *trans Tritonidem usque ad Oceanum Atlanticum* exporrigitur terrarum. lib.IV. Phal.c.31. Id certum est, fuisse gentem Africanam, quia Æthiopibus, Lybiis, & Ægyptiis annumeratur Jerem.XLVI.9. Ezech.xxx.5. Non inepta est B.Chytræi conjectura, qui ex Phut facit Phaetontem: *Vicinum est nomen Phaeton, quem cognitione motuum cœlestium claruisse, & insitatas ardores ex astris prædixisse, poëtæ indicant. Hunc Phaetontem conjiciunt aliqui fuisse Phut, nepotem Noe.* Hæc ille comm. in Gen. f. 294. Nec absurda est conjectura Bocharti l.1. Phal. c.2. qui Put facit Pythium Apollinem, Ammonis filium, qui draconem in Africa occidit. (4.) *Canaan*, Ab hoc nomen accepit terra Canaan, cujus incolæ mercaturæ fuerunt

Mizraim. Phut. Canaan.

runt deditiſſimi, ut mercator κατ' ἐξοχὴν, כנען, & Mercurius Mercatorum patronus Boch. l.c. diceretur. Meminit ejus avus Noah Gen.IX.25. eique maledicit, nempe in poſteris ſaltem, ab Iſraëlitis delendis; Et aliquoties Spiritus Sanctus Gen. IX. 18. 22. X.6. inculcat Cham, illum ſcilicet impium, & immorigerum, & excommunicatum à parente filium, eſſe parentem Chanaanis, malum corvum mali ovi, ut eo confidentius Hebræi, à Sem derivati, Gen.X.21. arma tum, cum hæc ſcriberet Moſes, corriperent adverſus Cananæos, ſervituti Semitarum & Japhetitarum deſtinatos Gen. IX. 25. ſeqq.

§. 3. *Chus* quinque filios genuit, qui appellantur Gen.X.7. *Nepotes & Chus ſunt* 1. Seba. quorum (1.) *Seba* סבא. Prodiit ex hoc gens Sabæa, Arabiam incolens; dicti alias Jemamitæ, à quadam ſua regina Jemama. Metropolis gentis eſt Hagar, ſive Petra. (2.) *Hevila.* 2. Hevila. Ex hoc Joſephus, Hieronymus Eucherius, Iſidorus, Lyranus, Sa, Toſtatus deducunt Getulos, Africæ populum. Sed præſtat ſententia Salian. an. 1931. §.49. Bochart. &c. qui Arabes, inter Nabatæos & Hagarenos colentes, ſubſtituunt, quos Plinius dicit Chaveleos. lib.V. hiſt.nat.c.11. Probatur ex Gen.XXV.18. ubi Iſmaëlitæ dicuntur habitaſſe ab Hevila, usque ad Sur, quæ reſpicit Ægyptum. Ex 1.Sam.XV.7. ubi Saul cecidit Amalekitas ab Hevila usque ad Sur. Quis autem hic intelligat Getulos? Mauros? (3.) *Sabtha.* 3. Sabtha. Ab hoc nomen accepit Sabbatha, ſeu Saubatha apud Ptolemæum lib. VI. Geogr. c.7. metropolis Arabiæ felicis, qua ſpectat mare Perſicum; juxta Beroaldum, Chytræum, Merulam, Salianum, Bochartum lib. IV. Phal. c.10. Hinc exiverunt coloni in Perſiam. Nam occurrunt nomina ſimilia Sophta, inſula, & Meſſabatha circa confines Mediæ, Perſidis, & Elymæorum. (4.) *Raema* רעמה q.d. tumultuator: dictus & Regma. 4. Raema. Nomen dedit Rhegmæ, civitati ſupra oſtium Perſici maris, & ſinum Ichthyophagorum ſitæ, cujus meminit Ezech. XXVII. 22. conjungens ipſam cum Sabæis aromatum inſtitoribus; adeoque & hæc terra pars fuit Arabiæ felicis. Ita cenſet iterum Chytræus, Beroaldus, Merula, Pererius, Delrio, Salianus, poſt vetuſtum ſcriptorem Euſebium lib.1.Chron. (5.) *Sabtecha* 5. Sabtecha. סבתכא. Præterit hunc Joſephus, Hieronymus ignorat, Beroaldus & Pererius in extremas Arabiæ felicis oras relegant; Salianus.

nus in dubio relinquit; Bochartus locat in Carmania, in qua est urbs Samydace, facili inflexione ex Sabtecha, mutato B. in M, more Arabum. His quinque filiis, forsan legitimis, additur (6.) *Nimrod*, ex concubina, si vera est traditio, susceptus. Nomen accepit à rebellione sive politica, sive Ecclesiastica, quam pater prævidit, & hoc ipsum nomine insignivit, ut quorundam est sententia. Nam quod Ambrosius lib de arc. c.34. dicit: *Nimrod per interpretationem dicitur Æthiops*, Grammaticæ Hebrææ non congruit. Cognomina ipsi varia attribuuntur, sunt enim, qui Zoroastrum, ut Epiphanius, qui Cronium, ut Glycas, qui Evechium, ut Cedrenus, nuncupant, incertis nixi traditionibus. Propius ad rem accedit conjectura eorum, qui putant, Nimrodum post mortem consecratum nomen Belus accepisse: *Solebant enim mortuis consecratis nomina immutari, credo, ne quis putet eos homines fuisse. Nam & Romulus post mortem Quirinus dictus est; & Leda Nemesis; & Circe Marica; & Ino, postquam se præcipitavit, Leucothea, materque, Matuta, & Melicertes filius ejus Palæmon, atque Portunnus.* Verba sunt Lactant. lib. 1. c.21. Ita & nomen esse Nimrodo consecrato immutatum, & in Belum conversum. vide Ursin. Zoroastr. sect.1. & 4. Augustinus lib. XVI. C.D. c.17. de Belo dicit, quod fuerit primus Rex Assyriorum, eique filium tribuit Ninum; Aut igitur Nimrodus Rex fuerit etiam Assyriorum, aut plures erunt Beli, i.e. domini, quod non est absurdum. Id certum est, quod fuerit Dominus Babyloniæ, & primus inter homines tyrannus Gen. X.9. quæ verba hactenus satis prolixe & sæpe explicata sunt. An ipse sit, qui Bacchus à gentilibus dictus? sic putat Cl. Boch. l. 1. Phal. c.2. Nec enim vel nomina abludunt. Bacchus, q. d. בר כוש *filius Chus*: Et Νεβρώδης, i.e. Nimrodus; Et Nimra. Nam tigrides currui Bacchi jungebantur: Ζαγρεὺς, i.e. venator; vel patria abhorret. Nam Nysæ in Arabia suum Bacchum censebant natum gentiles; Atqui & Chus Arabiam coluit, & forsan in ea Nimrodum genuit.

6. Nimrod. ejus Etymologia; Synonymia.

§. 4. *Mizraim* originem dedit (1.) *Ludim*. Æthiopes hinc sunt, sic dicti à tortuoso Nili fluxu, quod Arabibus לוד dicitur. Hinc & Lydi populus Asiæ nomen acceperunt, nempe à tortuoso Mæandri alveo. Populus iste fuit arcubus insignis. Es. 66.19. Jerem. 46.9. Vicinus Phulitis, Insulam Philen Nilo circumdatam inhabitantibus.

Ex *Mizraim* sunt 1. Ludim.

Esaj.

Esaiæ l. c. vide Chytr. f.196. Bochart. lib.IV. Phal. cap.26. cæterum hinc apparet, *quod Moses non populorum modo auctores & stirpes, sed ipsos etiam ab iis ortos populos recenseat:* juxta Glass. Phil. sacr. §. 760. Gram. Secus sentiunt ex veteribus Theoph. Antioch. lib.3. contr. Autolyc. Ex recentioribus Chytræus comm. in Genes. f.296. (2.) *Anamim.* Cyrenæos putat Chytræus, ab עינים fontibus aquarum dictos Anamim, & Cyrenæos, q.d. עיר עינים *urbs fontium.* Bochartus lib.IV. Phal. c.30. derivat ab antiqua voce Ægyptia ענם, *ovis, pecus*, ut Ægyptii Nomades, qui circa Ammonem & in Nasamonitide habitabant, intelligantur. (3.) *Leabim.* Sunt populi Libyæ, sic dicti ab להבה *flamma, & æstu*, quo regio torretur. κατ' ἐξοχὴν autem intelliguntur Λιβυαιγύπτιοι, id est, Libyes Ægyptiis vicini ad occasum Thebaidis. (4.) *Naphtuhim.* Sunt incolæ Nephtuæ, qua voce Ægyptii vocant *terræ extrema, & montium abrupta, quæ mare attingunt:* ut Plutarchus de Iside & Osiride lib. loquitur. (5.) *Pathrusim.* Juxta Chytræum *sic nominantur Pathros Ægyptiis vicini Africæ populi, Numidæ, vel alii.* Confirmatur ex Ezech.XXIX.14. ubi Ægyptiis promittitur reditus in suam Pathros, id est, Thebaidem, nobilem Ægypti regionem. (6.) *Casluhim.* Fuerunt olim Ægyptii, sed successu temporis migrarunt in Colchidem, servato colore, & crispis capillis, & vitæ institutis, ut ex veteribus deducit Boch. l.4. Phal. c.31. (7.) *Pelischtim.* Egressi sunt è Caphtoræis, juxta Jerem.XLVII.4. Expulsis Avæis, Hazerim tenentibus. Deut.II.23. (8.) *Caphthorim.* Fuerunt hi Cappadociæ incolæ, juxta Eusebium, Hieronymum, Theodoretum, Cyrillum, Procopium, & vulgatum, Græcosque interpretes: Vicini Colchis ad pontum Euxinum, juxta Bochart. l.4. cap.32. *Quod Judæi nugantur, Patrusim & Casluhim, commutasse uxores, & ex eo adulterio egressos, hoc est, natos Philistim & Caphthorim, ineptum est figmentum. Non enim de generatione, sed de migratione intelligendum est verbum egrediendi, quod Philistim & Caphthorim noluerint cohabitare Patrusinis, & Casluhimis:* verba sunt D.Luth. enar. in Genes. f.162.

2. Anamim. 3. Leabim. 4. Naphtuhim. 5. Pathrusim. 6. Casluhim. 7. Pelischtim. 8. Caphthorim

§. 5. *Canaan* undecim numerat filios Gen. X. 15. seqq. qui dicuntur *Cananitæ*. Gen.X.18. ita tamen, ut interdum vocabulum sit generale, ut h.l. Interdum speciale, ut Gen.XV 21. Exod. III.8.17. XXXIII.2.&c. pro illis Cananæis, qui partim ad mare, Ex *Canaane*

partim ad ripas Jordanis habitabant. Sicut contra Pheresæi sunt appellati, qui in montanis & Sylvestribus locis pagani degebant.
1. Zidon. Sed redimus ad filios Canaan. Quorum (1.) *Zidon.* A venatione dictus. Nomen dedit celeberrimo emporio Phœniciæ, Sidoni, urbi maritimæ, quæ piscatione nobilis fuit. Videtur Canaan parens imitatus esse Cainum, qui & ipse urbem Hanoch à nomine filii dixit, sic ipse à nomine Zidon, filii, urbem Zidonem. Proinde idem auctoris nomen cum sit, cum loco, vel populo, non videntur *prius locorum, quam hominum, vel populorum fuisse appellationes*, quod vult Bochart. lib.1. Phal. cap.2. sed contra prius hominum quam locorum, utpote ab hominibus denominatorum.
2. Chet. (2.) *Chet.* q. d. *pavor, terror*, quo alios afficiebat. 2. Reg. VII. 6. Habitavit cum posteris circa Hebronem, & Bersabam ad austrum terræ Canaan. Gen. XXIII. 1.3. seqq.
3. Jebusi. (3.) *Jebusi.* q. d. *conculcator.* Erant enim Jebusitæ, Salem inhabitantes, bellicosi.
4. Emorrhi. (4.) *Emorrhi.* Pater gentis Amorræorum, qui montana Judææ insidebant, deinde Jordanem transgressi bellum Moabitis & Ammonitis intulerunt, quo de bello carmen extabat antiquum poëtæ vetustissimi, citante Mose Num. XXI. 17. Boulduccus lib.2. de Eccles. cap.4. ab eloquentia derivat, & viros facit religiosos, cur non à loquacitate? ut Pelargus.
5. Girgosi. (5.) *Girgosi.* Conditor est Gerasinorum, vel Gedarenorum, quorum regio sic dicta est à גרש argilla, gleba.
6. Hevi. (6.) *Hevi.* Ab hoc veniunt Hevæi ad radices montis Hermon hærentes, ut colligas ex Psalm. 89. 13. dicti alias Cadmonim, orientales, Gen. XV. 19. Hevæi autem dicti sunt vel à חוה indicare: vel à serpentibus, quorum instar terræ cavernas subibant, ut hinc fabula de Cadmo & Harmonia in serpentes conversis videatur nata. Boch. l. 4. cap. 36. Boulducci deliria supra confutavimus.
7. Arki. (7.) *Arki.* Ab hoc dicta est Arce urbs in Libano sita, & Architis venus, à Phœnicibus impensè culta, juxta Macrob. lib. 1. cap. 22. Estius difficil.
Pherezæi. loc. script. ad Gen. X. 15. putat Aracæos & Pheresæos esse eundem populum, sic dictos à Pheresæo, Aracæi filio præcipuo. Sed dicti esse possunt inter Cananæos isti Pherezæi, qui separatim habitabant, & κατ' ἐξοχὴν Cananitæ, qui mercimoniis operam dabant.
8. Sini. (8.) *Sini.* Dicitur vicinus fuisse fratri Arki, sic enim Hieron. in Heb. quæst. *Ab Arcas oppido haud procul alia civitas fuit nomine Sini, qua*

quæ postea vario eventu subversa bellorum, nomen tantummodo loco pristinum reservavit. Alii malunt Amathusios, alii Cyprios, alii Tripolitanos, alius Pelusiotas, quia סין lutum significat; unde Pelusiotæ dicti. (9.) *Arvadi.* Juxta Hieronymum, qui Josephum sequitur, ab hoc descendunt Aradii, *qui Aradum insulam possederunt angusto freto à Phœnices littore separatam.* Meminit ejusdem Strabo: *Aradiorum*, inquiens, *maritima regio, Paltus, Balanda, & Caranus Aradiorum navale, postea Enydra, & Marathus, antiqua Phœnicum urbs, nunc diruta: agrum sorte divisum Aradii tenent.* Hæc ille. Confer. Plin. lib. 2. cap. 103. & lib. 5. c. 31. Dion. lib. 40. (10.) *Semari* vel Zemari, צמרי. Juxta Eusebium ex Samaræo sunt Orthositæ producti, populus in littore Phœnices, quorum urbs dicta est Simyra; & alia in tribu Benjamin Semaraym appellata. Hieronymus Edessam, alii legunt Emesam, civitatem ipsis assignat. Sunt quoque, qui Samariam hinc derivant, quos castigat Bochartus l. 4. Phal. 36. cum scribatur Samaria per ש, non per צ, ut צמרי: sed potuit dupliciter scripta esse vox, per ש & צ, nihilominus unum eundemque locum denotare, ut ex 2. Paral. XIII. 4. colligit Salian. an. 1931. §. 81. (11.) *Chamathi.* Nomen dedit urbi Emath, vel Hamath. quam deinde Macedones appellarunt Epiphaniam, juxta Hieronymum, qui desumpsit ex Josephi lib. 1. antiq. cap. 7.

9. Arvadi.

10. Semari.

11. Chamathi.

§. 6. *Raëma*, filius Chus, nepos Canaanis, duos habuit filios, quorum (1.) *Scheba*, à quo Sabæi Arabiæ felicis incolæ, siti juxta ostium maris Persici, ubi Arrianus locat *montes maximos Sabo dictos*, retento Sebæ nomine. Nec absurdum est, quod Boch. lib. IV. Phal. cap. 7. conjicit, de Sabin, Carmaniæ urbe, quam Sabæi trajecto freto suo videntur condidisse. Ex horum Sabæorum Regibus diu post ortus est maledictus Mahomet, & Sabæorum magnam vim traduxit ex Arabia in oppositam Carmaniam, & insulas vicinas. (2.) *Dedan.* Æquivocum nomen est. Nam etiam quidam Abrahami nepos. Gen. XXV. 3. dictus est Dedan, & locatur in Idumæa, ubi civitas erat ab ipso denominata. Noster autem Dedan occupavit juxta fratrem Schebam Arabiæ felicis partem, quâ Ichthyophagorum sinu alluitur. Ezech. XXVII. 15. mentio fit incolarum. *Filii Dedan, institores tui, insulæ multæ, negociatio manus tuæ, cornua eboris, & ebenum permutarunt pretio tuo.* Congruunt hæc

Pronepotes ex Raema.

1. Scheba.

2. Dedan.

hæc prædicata non Idumæis Dedanæis, quippe quibus facultas non ita erat eboris & ebeni Indicarum mercium adv[illegible]endarum, sicut Arabibus mari Persico adjectis, quare Dedanæi Arabes à propheta intelliguntur.

Termini, 1. Cananæorum.

§. 8. Termini Cananæorum exprimuntur Gen. X. 19. his verbis: *Factique sunt termini Chanaan venientibus à Sidone Gerarani usque ad Gazam; donec ingrediaris Sodomam, Gomorrham, Adamam, & Seboim usque Lasa*: vel, ut alii vertunt: *Fuitq; terminus Chananæorum à Sidone, quâ venis Geraram Gazam usque: & Gaza, quâ venis Sodomam, & Gomorrham, & Adamam, & Seboim, & Lesam usque.* In his verbis quatuor regionis latera exprimuntur; Nempe occidentale, quod constituit linea à Sidone ad Geraram, & Gazam usque deducta; Meridionale, quod ducitur à Gaza usque ad Sodomam, cæterasque civitates vicinas; Orientale, quod extenditur à Sodoma usque ad Lasam, civitatem in tribu Dan sitam; quam deinde vocarunt Cæsaream Philippi; Et denique boreale, quod ex Lasa usque ad Sidonem excurrit. Septentrionalis igitur terminus est Gaza & Gerara; Orientalis est Sodoma, & cæteræ civitates juxta mare mortuum, Occidentalis autem mare Mediterraneum. Suffragantur, quoad latus & terminum septentrionalem, Hieronymus de loc. Hebr. *Sidon*, inquiens, *urbs Phœnicis insignis, olim Chananæorum terminus ad aquilonem respiciens.* Lutherus: *Zidon ad aquilonem posita est*: Quoad meridionalem illi ipsi: *Gerara &c. erat olim terminus Chananæorum ad australem plagam.* Hieron. *Gaza ad meridiem posita est.* Luth. Quoad orientalem: *Ad significandum orientalem terminum ejusdem terræ, signatur Pentapolis.* Perer. lib. XV. in Gen. X. §. 130. *Sodoma fuit terminus ad orientem.* Luth. h. l. Quoad occidentalem Lutherus: *Ad occidentem sunt Ptolemais, Cæsarea, Appollonia, Joppe, Azotus &c.* Et Pererius: *Occidentales (Cananæi) oram maris magni, seu Mediterranei incolentes.* De Lasa disputant, quæ urbs fuerit? Callirhoen putat Hieronymus, sic scribens: *Lasa ipsa est, quæ nunc Callirhoe dicitur, ubi aquæ calidæ prorumpentes in mare mortuum defluunt.* Sed displicet sententia Boch[illegible] l. 4. Phal. c. 17. *Lasa* enim *fuit in termino meridionali terræ Chanaan*; *Callirhoe non item*, utpote orientalis, juxta Ptolemæum. At non videtur in meridionali fuisse, cum terminus meridionalis fuerit Gaza & Gerara, desinens in Pen-

in Pentapoli, tanquam termino Orientali; ad quam si referatur Lasa, ut à Bocharto refertur, erit terminus & ipsa Orientalis, non meridionalis, & per hoc potest esse Callirhoë Hieronymi. D.Lutherus, Chytræus, Salianus per Lasam intelligunt Laidem, alias Dan, & tandem Cæsaream Philippi dictam. Quibus suffragatur Hieronymus in locis Hebraicis, ubi, juxta Pererium, sentit *Lasam fuisse terminum Cananæorum circa Sidonem.* §. 130. cap. 1. Cæsarea enim Philippi sita fuit è regione Sidonis urbis. Quod vero attinet regiones Chamitis in genere habitatas, adeoque terminos ipsorum. Audiamus Josephum, qui sic loquitur: *Chami filii Syriam, & regionem, Amano, Libanoque montibus hærentem, obtinuerunt, quidquid ejus ad mare* (Mediterraneum) *vergit occupando, & Oceanum usque*, (quo cingitur Africa) *ditionis terminos proferendo.* 2. Chamitarum

§. 9. Hactenus de singulis hominibus, & gentibus ab illis descendentibus disputavimus. Nunc *de societatibus* cum simplicibus, tum compositis. *Simplicibus*, ut (1.) *Conjugali.* Cham suam habebat uxorem, quam secum in arcam sumpserat, & ex quâ post diluvium suscepit quatuor filios. Idem de filiis. Chus, Misraim, & Chanaan colligas. Nam & ipsi filios, dubio procul ex uxoribus, genuere. Suas tamen & Concubinas habuisse quidam censent, & colligere volunt ex Gen. X. 8. ubi seorsim recensetur Nimrod, quasi non inter legitimos liberos Chusi spectaret. (2.) *Paterna.* Ex dictis locis pater. Put quidem sine liberis refertur. Gen.X.6. tamen nominis memoriam reliquit *ad fluvium Mauritaniæ*, Phut dictum, imo *omnem circa eum regionem*, juxta Hieronymum. (3.) *Herili.* Chamitæ equidem piis præcipue, Semitis puta, & Japhetitis in servitutem redigendis, imminebant, dubium tamen non est, quin de suis quoque servos fecerint, servasque. Habuerunt enim suas quoque ipsi familias, משפחות dictas, ad quas etiam שפחות *ancillæ* spectant. Societates 1. *Simplices* ut Conjugalis. Patria. Herilis.

§. 10. *Compositis*, ut sunt integra imperia. Primi Chamitæ justa regna adornarunt, cum prius sub patria potestate homines versarentur. Gen. X. 8. & 9. & 10. Observa (1.) *Nomen.* Dicitur *Babylonicum*, à Babylone, seu Babele, quæ fuit regia urbs Nimrodi, ubi imperitabat. Postquam autem vel ipse, vel filius in Assyriam irrupissent Gen. X. 11. mutatum est nomen. Nam Assyriacum regnum 2. *Composita* ut *Regna* quale *Babylonium.* (1.) Nomen.

gnum est appellatum, ab Assur olim Semi filio, cui regio Assur cesserat; & regio ipsa dicta est terra Nimrod. Mich.V.6. (2.) *Reges.* Nimrod primus Babyloniorum fuit Monarcha, ut communis est sententia ad Gen.X.10. Dicebatur alio nomine Belus, nempe post consecrationem, ut §.8, art. 1. de Eccles.fals. ostensum est. Hinc veteres: *Primus Assyriorum regnavit Belus annis 65. quem Assyrii Deum nominaverunt Saturnum*; ut scribit Eusebius in Chronicis. Confer. lib. VI. de præpar. Evang. c.4. Hieron. in cap.2. Ose. August.lib.XVI. C.D.c.17. Adde Bedam, Adonem, Marianum Scotum, Hugonem de S.Victore; Salianum an.1931.§.4.seqq. & an.1932.§.seqq. Successit parenti filius *Ninus.* Sic enim Eusebius in Chronico laudato scribit: *Quando natus est Abraham, jam regnabat Rex secundus, qui vocabatur Ninus, filius Beli.* Et August.l.c. *Ninus regnabat* (Babyloniæ) *post mortem patris sui Beli, qui primus ibi regnaverat 65. annis.* Duplex autem videtur constituendus esse Ninus, alter Assuris filius, si quidem ille condidit Niniven, Gen.X.11. à filio Nino dictam: alter Nimrodi proles, qui parenti in regno successit. Neque hoc absurdum est, si cogitaverimus, quod ante diluvium aliquoties iisdem nominibus cives veræ & falsæ Ecclesiæ sint appellati. e.g. Gen.IV.17. Cain suscipit filium, & appellat Hanoch; quo ipso nomine filius Jared dictus est Gen.V.21. Iterum Methusaël filium suum vocat Lamech. Gen.IV.19. ὁμώνυμος ipsi est Methusalæ filius. Gen. V.25. Fieri igitur etiam post diluvium potuit, ut & Assuris, & Nimrodi filius diceretur Ninus. Dicis: *Primus tamen Assyriorum Rex vocatur Ninus!* qui igitur secundus erit? Resp. Primus fuit Assyriorum quidem, sed secundus Babyloniorum. Videtur enim Nimrodus cepisse quidem regnum Assyriacum, sed nondum quiete possedisse, ut filius Ninus. Aut dicendum est, quod Assur sit Ninus: *Mosi Assur Ninum condidit Gen. X. 11. Ergo idem Ninus, qui Assur.* Rotunde Scaliger commentatur ad Euseb.chron. f.m.15. Sic igitur primus Assyriis imperavit Assur, sive Ninus, diversus à filio Beli; Dejectus deinde imperio ab irruente Nimrodo & Chamitis. Videntur autem reges Babylonii sive Assyrii in regionibus sibi subjectis habuisse suos satrapas & regulos, quibus alii parebant. Nam Gen.XIV. mentio fit regis Sinear, Elassar, Elam. & gentilium; nisi ipsos reges dixeris, saltem Babyloniorum confœderatos. Dicamus

mus, Deo volente, in Ecclesia Abrahamica pluribus de hac quæstione.

§. 11. Præter Babylonico-Assyriacum regnum numerant alia quoque, puta: *Sicyoniorum.* Sic enim Beda de 6. ætatibus mundi differens, scribit: *His* (Thare) *temporibus Assyriorum, & Sicyoniorum regnum nascitur, his primum Belo, illis Ægialeo regnante.* Successorem habuit Europem. Sic enim Eusebius lib. 1. chron. scribit: *Hujus Thara anno 48. Sicyoniorum in Græcia regnavit Europs, defuncto Ægialeo, qui prius Sicyoniorum regnavit, ex quo territorium Peloponnesiorum Ægialea vocabatur:* Et paulo post: *Nino regnante apud Assyrios, primus Sicyoniis imperavit Ægialeus annos 52. à quo Ægialea nuncupata est, quæ nunc Peloponnesus vocatur: post quem secundus Europs, qui & prælatus est titulo. Sicyoniis regnavit secundus Europs annis 45. cujus 25. regni anno natus est Abraham.* Hæc ille. *Ægyptiorum* idem meminit lib. 2. Chron. Citat enim ipsorum Dynastias XVI. quæ nativitatem Abrahami antecesserunt, illisque subjungit regnum *Thebaorum*, quod duravit annos 190. *Bactrianorum* quoque inclaruit imperium. Sic enim idem: *Zoroastres magus, rex Bactrianorum clarus habetur, adversum quem Ninus dimicavit.* Etiamsi igitur hoc contigerit octavo Abrahami nati anno, juxta Eusebii computum, tamen antea jam regnum cœpisse necesse est, quia plures anni requiruntur, donec imperium adolescat. Scaliger notis ad l.c. observat, ex Ctesia, *non Zoroastren, sed Oxyarten vocatum esse eum regem Bactrianorum, in quem expeditionem fecisset Ninus.* Addit de Zoroastre, quod longe inferior sit hoc ætate. Vide Henr. Ursinum in Zoroastre. Non dubium est, fuisse etiam hoc tempore Reges inter Cananæos, cum in historia Abrahami mentio fiat Regis Sodomæorum, Gomorrhæorum, Adamæorum, Zeboim, Zoar; & Solymorum; Gen. XIV. 1. 18. quia tamen in Ecclesia Abrahamica gesta ipsorum recensentur, maluimus eo usque differre.

Sicyonium. Ægyptium. Thebæum Bachianum.

§. 12. *Celebriores civitates*, erant: Babel, Erech, Acad, & Chalne. Gen. X. 10. Item Ninive, Rehoboth, Ir, Cala, Ressen, vers. 11. 12. De Babel diximus art. 1. §. 16. *Erech* à veteribus quidem Edessa putatur, sed præstat *Areccam* intelligere, urbem à Ptolemæo ad Tigrim Susiana in regione locatam: Cujus meminerunt etiam Ammianus Marcellinus lib. 23. Salmasius ad Solin. pag. 1194. Bochart.

Civitates. Erech.

Acad. chart. lib IV. Phal. cap. 16. *Acad*, à LXX Ἀρχὰδ dicta, more Chaldæorum, qui dagesch resolvunt in ר, unde Argad civitas, & fluvius Argades sunt appellati. Alio nomine vocabatur Sittaca, vel Sittacene, quam Ctesias Persiæ adscribit; Strabo autem lib. XV. Babyloniæ, sive terræ Sinnear: *Susidi*, inquiens, *ea pars Babyloniæ proxima est, quæ quondam Sittacena, postea Apolloniatis est appellata.* Quæ sententia proxime accedit ad literam scripturæ Gen. X. 10. Nam enumeratæ civitates dicuntur fuisse in terra Sinnear. Bochartus cap. 17. describit civitatem his verbis: *Urbs magna fuit, & populosa; Agri vicini arboribus omnis generis consiti. Ibidem nascitur Ladanum, & loca sunt, quæ semper flagrant. Et prope Argadem Amnem angues, nigro corpore, capite albo, longi sex pedes, quorum morsus est lethifer.* Hæc ille. *Chalne* alio nomine dicta est Ctesiphon, juxta Chaldæos interpretes, Eusebium, Hieronymum, regia sedes Parthorum, in terra Chalonitide: Sic autem Plinius: *In solitudinem rediit Babylon exhausta vicinitate Seleuciæ &c. invicem ad hanc exhauriendam Ctesiphontem, juxta tertium ab ea lapidem in Chalonitide condidere Parthi, quod nunc est caput regni.* De fertilitate ejusdem sic idem: *Jungitur Chalonitis cum Ctesiphonte, non palmetis modo, verum & olea, pomisque, aliisque arbustis nobilis.* Ninive, Rehoboth, Ir, & Cala explicatæ sunt

Rhesen. superius art. VI. §. 30. Superest *Rhesen*, quæ dicitur *Dassem*, ab Hieronymo, in de locis Hebraicis. Laudatur à scriptura *Civitas magna*, sita inter Niniven, & Calam. Gen. X. 12. Hanc putant *Larissam* esse, cujus in Assyria mentionem facit Xenophon in expedit. Cyr. l. 3. *Græci*, inquiens, *quod ejus diei reliquum fuit, tuto progressi ad Pigretem amnem pervenerunt: ibi fuit urbs magna, sed deserta, Larissa nomine, quam olim Medi tenuerant. Mœnium autem latitudo pedum erat 25. altitudo 100, ambitus duarum parasangarum, materia coctili laterculo. Crepido lapidea suberat alta 20. pedes. Hanc obsessam Persarum Rex (Cyrus), cum Persæ Medos imperio spoliarunt, nullo modo capere poterat. At cum sol obtenta nube defecisset, oppidani animis conciderunt, & urbs capta est.* Hæc ille. Nec obstat, quod Rhesen, & Larissa diversum sonent: Est enim ל in Larissa præfixum, ut radix tamen maneat Rhesen: Sicut 1. Paral. V. 26. Lahela, pro Hela.

Tempus. §. 13. *Tempus*, quo duravit utraque Ecclesia, diversum est juxta Codicem Hebræum, & versionem LXX. interpretum. Hinc Augu-

Augustinus lib.XVI. de C. D. c.10. *Fiunt*, inquit, *anni à diluvio usque ad Abraham* 1072. *secundum vulgatam editionem, hoc est Interpretum Septuaginta. In Hebrais autem codicibus longe paucio\u0072es annos perhibent inveniri, de quibus rationem aut nullam, aut difficillimam reddunt.* Rationem nos damus ex verbo Dei, quod annos durationis clarè expressit Gen.XI.seqq. Numerat enim 2.años nati Arphaxadis post diluvium; 35.Salachi, 30.Eberi, 34.Pelegi, 30.Regu, 32.Serug. 30.Nahoris, 29.Tharæ, 70.Abrahami. Collecti hi anni reddunt sum̃am 292.annorum, qui inter diluvium & nativitatem Abrahami intercesserunt. Vide D. Gerh. comm. in Gen. p.273. q.1. Videant Cedrenus compend. hist. f. 12. Et ex recentioribus Isaacus Vossius de vera mundi ætate, quomodo suos, quos sequuntur, LXX. interpretes defendant. Nobis placet sententia Spiritus Sancti in fontibus revelata, quippe quæ certa est à spiritu veritatis profecta. Hactenus de Ecclesia Noachica.

Non putamus autem inutilem hunc esse laborem nostrum, dum successionem veræ Ecclesiæ etiam hoc tempore ostendimus. *Docet* enim *nos de principali loco, quod Deus nunquam Ecclesiam penitus deseruerit, etsi aliis temporibus copiosior, aliis tenuior fuerit. Sicut etiam doctrina aliis temporibus purior, aliis obscurior est. Hac spe nos quoque sustentemus in tanta mundi & adversariorum verbi malignitate. Sicut Christus quoque nos consolatur, futurum, ut propter pios abbrevientur dies novissimi temporis, ut scilicet Ecclesia conservetur, & Antichristus* (Syncretismus) *non involvat omnia erroribus & mendaciis.* Quibus B. Lutheri Enarr. in Gen.XI. f.170. verbis nostram diatriben obsignamus. Epilogus.

Soli DEO Gloria.

INDEX MATERIARUM.

Augu-

Homi-

FINIS.

CATALOGUS LIBRORUM

quorum copia ſuppetit in Officina JOHANNIS REINHOLDI DULSSECKERI, Argentorati, M DCC VI.

ÆLianus, græcè & latinè, cum Notis Schæfferi & Kühnii. 4.
Albertus Magnus de Secretis Mulierum, 16.
Apothecker-Tax Straßburger. 4.
Anti-Machiavellus de Regno benè adminiſtrando. 12.
Arnds/ Joh. Paradiß-Gärtlein/ 24. mit Kupffern.
* Arniſæus, *Henning.* de Republica. 4.
* —— Doctrina Politica. 4.
* —— de Jure Connubiorum. 4.
Auguſtinus, *Aur.* vom Ehebrecheriſchen heurathen. 12.
Aviani, *Marci*, Göttliche Liebes-Flamme. 12.
* BEbelii, *Balth.* Antiquitat. Eccleſ. per Secula IV. priora. 4.
—— Antiquitates Eccleſiæ Antediluvianæ. 4.
—— Antiquitates Eccleſ. Noachicæ. 4.
—— Antiquitates Eccleſ. Argent. 4.
—— de Aris & Menſis Euchariſticis Veterum. 4.
—— de Præexiſtentia Animarum. 8.
—— Reliquiæ Hæreſium. 4.
—— Bericht von der Meß. 12.
—— Bericht vom Roſenkrantz oder Pater noſter. 12.
Baconis à *Verulamio*, Tract. de Augm. ſcientiarum. 8.
* Bembi, *Petri*, Opera.
—— Hiſtoria Veneta ſeparatim. 8.
Bentzii, *Joh.* Theſaurus græco-latino-germanicus. 8.
Berneggeri, *Matth.* Orationes Acad. 12.
—— Tuba Pacis. 4.
Berneggeri, *Matth.* Proaulium. 4.
—— Obſervationes Miſcellæ. 8.
Bertii, *Petri*, Logica Peripatetica. 8.
Beſoldi, *Chriſt.* Hiſtoria Conſtantinopol. Turcica. 12.
—— Hiſtoria Urbis & Regni Hieroſolymitani. 12.
—— Axiomata politica. 12.
—— Synopſis Rerum ab Orbe Cond. geſt. 12.
—— Synopſis Doctrinæ Politicæ. 12.
Beſſius, *Nic.* de Statutis, Pactis & Conſuetudinibus familiar. Illuſtr. & Nobil. cum Summariis & Notis Jo. Schilteri. 4.
Biccii, *Joh.* Colleg. Juridic. Argentor. enucleatum. 4.
Boceri, *Henr.* Diſputationes de Univerſo Jure. 4.
—— de Crimine læſæ Majeſtat. 8.
—— de Torturis. 8.
Bodini, *Joh.* Methodus ad facilem hiſtor. cognitionem. 16.
Bœcleri, *Joh. Henr.* Diſſertationes Academicæ. 4.
—— Series Cæſarum Germanorum. 4.
—— de Rebus Seculi XVI. 8.
—— Muſæum. 8.
—— Comment. in H. Grotium de Jure Belli ac Pacis. 8.
—— Anweiſung die Authores Claſſ. zu leſen. 12.
—— Excerpta Controverſiar. 8.
—— Hiſtoria Univerſalis. 8.
—— Hiſtoria Belli Sueco-Danici. 8.

Bona, *Jo.* de Missa. 18.
Boteri, *Joh.* Politica, Von Anordnung guter Policey. 8.
—— Fürsten-Spiegel. 8.
Brederodii Analysis Instit. Jur. Civ. 8.
Buliovvski, *Mich.* von Verbesserung des Orgelwercks. 8.

Cæsaris, C. *Jul.* Omnia quæ extant. 16.
Cassandri, *Georgii*, Consultat. de Articulis Fidei. 8.
Catechismus Lutheri Frantzösisch und Teutsch. 8. 12. und 24.
Chymische Schrifften.
Ciceronis M.T. Epistolæ selectæ, Lat. Gall. 12.
Cisneri, *Nic.* de Othone Tertio Imp. ejusque Instituto Concil. Imper. & septem Viris Elector. 8.
Comeni, *Jo. Amos*, Vestibulum Januæ ling. lat. germ. 8.
Comitis Natalis Historiæ sui temporis. fol.
Corderi, *Mat.* Colloq. Lat. Gall. Ital. Germ. 8.
Conseils sinceres sur le choix d'un amy. 8.
Crameri, *Dan.* Arbor hæreticæ Consanguinitatis. 4.
Crameri, *Jo. Jac.* Ecclesiastes Christianus. 12.
Q. Curtius cum Comment. & Suppl. Freinshemii. 4.

Dannhauers / Joh. Conr. Schutz-Engel Christl. Kirchen. 4.
—— Theologia Conscientiaria. 4. 2. Tomi.
—— Anti-Valerianus. 4.
—— Mysteriosophia seu Doctrina de Sacram. Eccles. 8.
—— Mahumedismus. 4.
—— Meletemata de Miraculis veris falsisve. 8.
—— de Fato Turcico. 4.
—— Nuncius Duræo missus. 8.
—— Repulsa Appellationis nullius contra Duræum. 8.
—— Manes contra Duræum. 4.
Denaisii, *Petri*, Jus Camerale. 8.
Dorschæi, *Jo. Georg.* Prodromus Anticriseos Theologicæ. 4.
—— Pentadecas Dissert. Theologicar. cum auctario. 4.
—— Detectio malæ fidei Papalis. 4.
—— Sceletomania. 12.
—— Mysaria Missæ. 4.
—— Vom H. Abendmahl. 4.
—— Epigrammata. 12.
—— de Cœna Domini ad Conc. Nicæni διαλύσαντι. 4.
—— Interventio pro Mysterio S. S. Trinit. contra Hermannum. 12.

Engelhard, *Jo. Laur.* de Æsculapio Inventore Medic. 4.
Des Elsasses und Breißgau Beschreibung. 12.
les Epitres de Ciceron. lat. franc. 12.
Erhard, *Jo. Nic.* Comm. ad Instituta. 8.
Evangelia & Epistolæ, græc. lat. 8.
—— Item Teutsch. 8. und 24.

Faustii, *Isaaci*, Predigten vom H. Abendmahl. 12.
—— Friedens-Weg. 4.
Florus cum Notis Freinshemii. 8.
Forstneri, *Christ.* Notæ ad Tacitum. 8.
—— Hypomnemata Politica. 12.
Fragstücke Catholischer Lehre. 12.
Freinshemii, *Jo.* Specimen Paraphraseos C. Taciti. 8.

Gau-

GAudentius, *Pagn.* de Justinianei Seculi moribus. 8.

Gesang- und Bettbüchlein. 24. mit Kupff.

Giphanii, *Huberti*, Oeconomia Iuris. 4.

Grammatica Gallica exemplaris, d. i. Neue Art die Frantzösische Sprach durch Exempel zu lernen. 8.

Gumpelsheimeri, *Georg.* Gymnasma de Exerc. Academ. 12.

Gentilis, *Huber.* de Error. Testamentor. 8.

HAbrechti Ianua 6. Linguis. 8.

Heilers / Günthers / Passions-Betrachtungen. 12.

Hercules prodicius seu Principis Iuvent. Vita & peregrinatio per Vinandum. 8.

Horstii, *Phil.* Epistolographia. 8.

Hottingeri, Lexicon Etymologicum. 4.

Huyssen, *Henr.* de Iustitio, Gerichts-Stillstand. 4.

INstitutiones Iustin. cum notis Loccameri & Obrechti. 12.

Index libror. prohib. juxta Concil. Trid. 8.

Junii; *Melch.* Quæstiones Politicæ. 8.

Justiniani, *Petri*, Historia Veneta. fol.

KEllenbenz, *Barth.* de Renunciatione Successionum cum Præfat. Io. Schilteri. 4.

Kühnii, *Joach.* Animadv. in Pollucem. 12.

Kulpisii, *Jo. Georg.* Dissertation. Iur. Publ. var. 4.

LEssii, *Leon.* Hygiasticon, oder Bericht/ wie das Leben in völliger Gesundheit / biß ins Alter / zu erhalten. 12.

Lycosthenis; *Conr.* Apophtegmata. 8.

Loccameri, *Georg. Dan.* Quæstiones Iustin. & Feudales. 12.

Lullius Raymundus, de Conservatione Vitæ. 8.

MAchiavellus, *Nic.* de Arte Militari. 8.

Manilii, *Petri*, Astronomicon, cum Notis Scaligeri & Boecleri. 4.

Meyeri, *Justi*, Tract. de Culpa in Contract. præstanda, cum Annot. Fr. Schragii. 8.

Monzambanus de Statu Imp. Rom. German. cum Additionibus necessar. & Obrechti Specim. Exercitat. in eund. 8.

NAtalis Comitis Historiæ sui temporis. fol.

OBrechti, *Ulrici*, Prodromus Rerum Alsaticarum. 4.

Ottonis, *Jac.* Cynosura Augusti & Augustæ. 4.

PAcii, *Julii*, Oeconomia Iuris. 4.

——— Analysis Codicis Iustinianei. 8.

Panvinius, *Onuphrius*, de Comitiis. 8.

Pappi, *Joh.* Institutio Christ. Religionis. 8.

——— Parva Biblia. 12. Teutsch.

Passions-Histori unsers Heylands JEsu Christi. 8. und 24.

Pauli, *Sim.* de Febribus Tract. 4.

——— de Tabaco & Herba Thee. 4.

Plutarchi Vitæ Parallelæ, ex versione Guil. Xilandri. 8.

Polydorus Virgilius de Inventoribus. 16.

Porta, *Jo. Bapt.* de Distillationibus. 4.

Psalter Davids. 24. und 32.

Pighi, *Steph. Vinandi.* Hercules prodicius. 8.

QVinctiliani M. F. Opera, ex recens. Ulr. Obrechti. 4. 2. *Tomi.*

REbhani, *Joh.* Hodegeta Iuris. 4.

——— Paralipomena Mejeriana. 4.

außgerechnetes Rechen-Buch Joh. Heinr. Henrici. fol.

Regewy, Geistliche Lieder auß denen Sonn- und Fest-Evangelien gezogen/ mit Melod. H. H. Zießichs. 12.

*Rittershusii, *Conr.* Ius Iustinianæum sive Com. ad Novell. 4.

——— de Regulis Iuris. 4.

——— ad Instituta. 4.

——— de Iure Asylorum. 8.

——— Partitiones Feudales. 8.

——— Differentiæ Iuris. 4.

Rudingeri, *Joh.* Controversiæ Iuris Feudalis. 8.

——— Observationes Iuris Cameralis &c. 4.

——— Enchiridion Iuris Feudalis. 12.

——— Methodus Universi Iuris Feud. 8.

SAltzmans / Joh. Rud. Beschreibung des Saalbacher-Bads. 8.

Sansonii, *Nic.* Tabulæ totam Geograph. exhibentes. fol.

Schardius, *Sim.* de Iurisdictione Imper. fol.

de Electione Imperator. in German. 8.

Scheidius, *Balth.* in Psalm. 11. & 119.

——— in Lucam. 4.

Schilteri, *Jo.* Jurisprudentia. 8.

——— Institut. Iuris publici. 8.

——— Epitome Iuris privati. 8.

——— ΕΠΙΝΙΚΙΟΝ Rhythmo Teuton. Ludovico Regi acclam. &c. 4.

Schil-

